

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

A. W. Mitter.

THESES
THEOLOGICÆ
IN ACADEMIA
SALMVRIENSI VARIIS
TEMPORIBVS DISPVSTATÆ.

Sub Præsidio D. D. Virorum S. Theologiæ Professorum,
LVD. CAPELLI.
MOS. AMYRALDI.
IOS. PLACÆI.

Studioforum nomina, qui Theses eas defenderunt, initio cu-
iusque disputationis habentur.

PARS SECVNDA.



SALMVRII,
Prostant Exemplaria apud IOAN. LESNERIVM.

ANN. M. DC. XLV. 1645



INDEX LOCORVM COMMVNIVM
hoc Theſium volumine explicatorum.

De Duarum Chriſti Naturarum, diuinæ & humanæ, in vna eademque perſona, hypſtatica vnione.	fol. 1
De Incarnatione Domini Noſtri Ieſu Chriſti, deque illius, & vnionis hypſtaticæ, effectis.	9
De Munere & Paſſionibus Chriſti Satisfactorijs.	21
De Deſcenſu Chriſti ad Inferos & Limbo Patrum. Pars Prior.	26
De deſcenſu Chriſti ad Inferos. Pars Poſterior.	35
De Purgatorio, quid, quale, & vnde ſit, quibuſque nratatur rationibus.	42
De Purgatorio, diſputatio Altera. Qua oſtenditur Purgato- rium repugnare Sanctæ ſcripturæ & fidei Analogiæ.	55
De Satisfactionibus.	61
De Theſauro & Indulgentijs Eccleſiæ Romanæ. Pars Prior.	71
De Theſauro & Indulgentiis Eccleſiæ Romanæ. Pars Po- ſterior.	76
De Fide, Pars Prior, Qua eſt, De Natura Fidei. <i>Amprant</i>	83
De Fide, Pars Poſterior. Qua eſt, De Fidei Cauſa Efficiente.	93
De Electione & Reprobatione. Pars Prior. <i>appel</i>	102
De Electione & Reprobatione. Pars Poſterior.	111
De Angelorum Prædeſtinatione, Siue Electione & Repro- batione. <i>appel</i>	119
De Perſeuerantia Fidei. Pars Prior. <i>Amprant</i>	130
De Perſeuerantia Fidei. Pars Poſterior. <i>Amprant</i>	141



THESES
THEOLOGICAE
DE
DVARVM CHRISTI NATV-
RARVM, DIVINÆ ET HVMANÆ,
IN VNA EADEMQVE PERSONA,
HYPOSTATICA VNIONE.

Praefide D. LVDOVICO CAPPELLO.

Respondente SALOMONE DE CARROUGE, Gallo Burgundo.

THESIS PRIMA.



VI A ad hoc manifestatus est Dei Filius, vt dissolueret opera Dia-
boli, vti dicitur primæ Epist. Iohan. cap. tertio, versu octauo,
ideo Satan, vt par pari, quantum in ipso fuit, veluti referret, totus
ab eo tempore, in eo fuit, vt Christi opus longè maximum, reli-
quorumque omnium, quæ salutem hominum spectant, basim at-
que fundamentum, personam nempe eius vtraque natura constan-
tem, dissolueret. Nam primò, modò humanam, modò diuinam eius naturam va-
rijs artibus, diuersisque excitatis hæresibus, oppugnauit, atque vbi se superiorem esse
non posse sensit, earum vnionē dissoluere, vel confusionem inducere omni studio
molitus est, nouis ad hoc suscitatis Hæresiarchis quorum alij naturas in eo confun-
debant, alij easdem diuidebant atque separabant, sicque ex vno geminum Christum
faciebant.

II. Superiore disputatione fides orthodoxa de Diuina & humana Christi Natu-
ra est à nobis constabilita, probanda iam nobis venit vtriusque in vna eademque
persona vnio hypostatica. Atque hîc ad rectam tanti mysterij fidem tuendam, duo
sunt aduersus hæreticorum frandes & technas arctè tenenda, & firmiter compro-
banda; vnum per vnionem istam Naturas non esse commixtas atque confusas, neque
vnam in alteram esse conuersam, aut verò alterutram ab altera esse peremptam,
sed vtramque mansisse integram, atque immutatam. Alterum, Naturas illas non esse
à se inuicem diuisas aut separatas, sed semel arctissimè coniunctas manere in perpe-

A

De duarum Christi naturarum, diuina & humana,

tuum ita connexas, vt vnā & eandem constituant τὴν λόγον personam.

III. Prius illud pij orthodoxi Ecclesiæ Christianæ Patres & Doctores aduersus Eutichem eiusque sequaces Monophysitas, Monotheletas & Acephalos his verbis ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως posterius aduersus Nestorium & eius affectas, istis ἀχαρίτως & ἀδιαρίτως benè & commodè ad occupanda & occludenda omnia eorum effugia declararunt atque definierunt, quum duas diuersas naturas humanam & diuinam in Christo coniungi ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως, ἀχαρίτως & ἀδιαρίτως sancierunt.

IV. Et ad prius quidem illud quod attinet, naturas nimirum in Christo per vnionem non esse confusas, obseruandum est primò, quod quæ commiscerentur ea oportet non aliquam modò habere inter se naturæ conuenientiam, verum etiam proportionem, deinde per commixtionem ea confundi, alterari, atque immutari solent, & vel omnino corrumpuntur dissoluunturque, vel ex ijs commixtis tertium quid ab utroque diuersum exurgit atque componitur, vnde fit vt vtrumque à propria natura recedat aliudque fiat, quod antea non erat, vt videre est in corporibus omnibus quæ ex quatuor elementorū commixtione constant atque cōponuntur. At nullum horum de Christo dici potest, etsi enim Deus & homo, quia aliqua est naturæ inter eos conuenientia & similitudo (quatenus homo ad Dei imaginem creatus est) coniūgi & connecti aliquo modo, possint (vt corpus materiale & anima immaterialis atque spiritualis vinculo arctissimo nihilominus coniunguntur) at commisceri & confundi ne quaquam possunt, nulla est enim inter eos naturæ proportio, quia homo finitus est, mortalis, mutabilis, Deus verò prorsus infinitus, immensus æternus, immortalis atque penitus immutabilis. Tum per illam naturarum permixtionem tam Pater & Spiritus sanctus quàm ipse Filius dici possent incarnati; nati, passi & mortui, id quod Scripturæ Sacræ repugnat.

V. Deinde dici non potest sciam esse per vnionem illam, vtriusque aut alterutrius naturæ in Christo (quod in commixtione fieri solet) immutationem, alterationem, corruptionem, aut dissolutionem, nam diuina Natura est planè ἁφ' ἑαυτῆς ἀνάλωτος non est enim apud Deum ὁ ἀλλοιούμενος ἢ τροπαιοποιούμενος, Iac. I. vers. decimo septimo. Humana autem natura eadem est mansitque post vnionem, quoad essentiam, cum nostra. Id liquet ex ijs, quæ superiore disputatione de veritate humanæ Christi naturæ diximus, omnia enim illa quæ sunt homini essentialia ei post vnionem naturarum competunt & in Scriptura tribuuntur.

VI. Hoc vnum interest discrimen, quod singularis ille & indiuiduus homo, Iesus Christus Nazarenus, τὸ λόγον vnitus, non habet propriam ἀπὸ τοῦ λόγου distinctam, aut separatam, hypostasim, sed est ipsi ὡς ὑπόστασις quatenus in eo, non extra eum subsistit: id quod sanè maximum est hominis illius atque eximium priuilegium, & singularis prorsus eius honos, dignitas atque prærogatiua, at nihil tamen illi detrahit, quominus sit verus & substantialis homo, nam primò, existentia differt ab essentia, neque est illius pars; ad perfectionem itaque & veritatem humanæ naturæ non requiritur Personalitas, sed vt partibus constet verè essentialibus, anima nimirum rationali & corpore organico; deinde, quod propriam non habet Christus ab illa τὸ λόγον distinctam hypostasim, facit id quidem vt hac in parte differat à reliquis indiuiduis hominibus, at non facit tamen vt non sit singularis & indiuiduus homo: quia subsistit nihilominus, etsi non in se attamen in λόγῳ: atqui subsistentia, seu existentia actualis, vnà cum essentia, sufficit ad indiuidui rationem atque constitutionem.

VII. Sed neque per vnionem alterutra natura in alteram est conuersa; aut per

in vna eademque persona, hypostatica vnione.

eam perempta atque oblita. Non Diuina in Humanam, nam diuina mutari omnino non potest, nedum perimi atque aboleri, idque ab humana longè debiliore. Deinde, sic vna duntaxat remansisset in Christo natura, si altera, nempe Diuina, esset perempta, atque ita Christus non esset *διὰ τὸ πάρος*, sed tantum *ἀνδραγατός*, quod aduersatur Scripturæ. Non Humana in Diuinam, nam primò nihil potest mutari in id quod iam actu existit, sed in id tantum quod nondum existit, (vt aqua in vinum à Christo conuersa) quatenus per sui mutationem aliud fit quod antea non erat.

VIII. Deinde si Humana in Diuinam mutaretur, id fieret vel cum aliqua, vel sine vlla, diuinæ immutatione atque immutatione. Neutrum autem dici potest. Non prius, quia Deus est prorsus immutabilis, deinde, sic Christus Deus amplius non esset, Deus enim mutatus Deus reuera non est. Non posterius, quia non esset hæc propriè dicta vnus naturæ in alteram conuersio, atque transmutatio, sed humanæ tantum peremptio; deinde, vel sic in Christo esset Diuina duntaxat Natura, nulla verò humana (si humana à Diuina simpliciter perimeretur atque absorberetur) vel duæ essent in Christo Diuinæ Naturæ, vna ab æterno *τὸ λόγιον*, altera in tempore, ex humana in Diuinam mutatione atque conuersione facta, quæ omnia sunt vehementer absurda.

IX. Vnio Diuinæ cum humana Naturæ dotes sanè in humanam contulit (siue naturæ bona, siue gratiæ dona spectes) eximias ac planè singulares: & quidem quantas maximas capere potest humana natura quæ finita est at non tamen actu infinitas, finitum enim infiniti capax esse non potest, simulque manere finitum (hoc enim implicat contradictionem) neque quod finitum est fieri potest reali proprietatum diuinarum transfusione, & naturarum conuersione, infinitum, sic enim Deus fieret, qui solus est infinitus. Deus autem fieri non potest, qui semper est & ab æterno fuit, nec vnquam cepit esse, neque potest sui esse initium vllum habere. Non fit itaque hæc vnio per realem humanitatis cum Diuinitate adæquationem, secundum aliquas diuinas proprietates humanitati communicatas, quinimò, vt distinctæ manent essentiæ atque Naturæ sic & proprietates. Itaque quantum in ipsis est humanam Christi Naturam destruunt atque abolent & in Deum conuertunt, qui nonnullas ei tribuunt diuinas planè proprietates, *παραχρησίου* puta siue immensitatem, infinitam scientiam atque potentiam, nam cum Deus simplicissimus sit non compositus, non differt eius essentia à proprietatibus ipsius: vnde etiam liquet non posse vnā communicari proprietatem quin reliquæ omnes simul communicentur, si quidem non differunt reipsa ac essentia ipsa. Qui igitur diuinas proprietates in humanam Christi naturam conferunt & transfundi volunt, eam in diuinam essentiam commutant.

X. Sed neque per vnionem tertium quid ex vtraque natura confusum ab vtraque diuersum, factum est. Sic enim vtriusque naturæ facta fuisset mutatio atque alteratio (quod fieri non potuisse, nec factum esse, modò euicimus) & Christus post illam commixtionem, nec Deus nec homo amplius esset, sed neutrum quid, quod absurdum est, & Scripturæ aduersum, quæ vtrumque esse docet. Manent igitur in Christo naturæ ipsæ, & earum proprietates essentielles cum suis operationibus, distinctissimæ, *λογος* nempe mansit quod erat, vtpote immutabilis, assumpsit tantum id quod non erat, nempe hominem, eumque verum & integrum, vti probatum est.

XI. Neque verò facta est in Christo propriè dicta duarum naturarum (qualis est in homine animæ & corporis) compositio, diuina enim natura, non est humanæ ita

coniuncta, vt Diuina sit Humanæ forma aut pars substantialis, sed persona diuina, iam ab æterno subsistens, humanam assumpsit non personam, sed naturam, in vnitatem non naturæ, sed personæ, ita vt, qui in diuina tantum natura subsistebat, nunc etiam in humana sustentata, subsistat. Itaque nec propriè compositus dici potest Christus, neque aliter ex duobus consistere dicendus est, quàm quatenus humana natura diuinæ accessit personæ iam existenti, non ad Diuinæ completum vel augmentum, sed ad gratiæ & gloriæ in humana incrementum maioremque perfectionem: ac cautè accipienda est compositionis vox, si quando Patres vocant personam Christi *ἐνθεὺν ὑποτάσσιν*. Persona enim Christi non est composita ex duabus naturis tanquam ex actu & potentia, vel tanquam ex partibus potentialibus. Nam partem esse alicuius compositi notat aliquam imperfectionem, quia incompletum quid dicit, imperfectionem autem omnem longissimè respuit natura diuina, quare si compositio dicenda est, numeri duntaxat, non partium propriè dictarum respectu, id accipi & intelligi debet.

XII. Ad posterius autem quod attinet, duæ sunt quidem in Christo naturæ distinctissimæ, humana & diuina, at non tamen in duas personas discretæ, & diuisæ aut seiunctæ (vti voluit olim Nestorius) sed vnā tantum eandemque constituunt diuinam Sacrosanctæ Trinitatis personam secundam, *τὸν λόγον*, qui nihil ab humana accedente accepit, nec semel susceptam vsquam aut vnquam deponit (vti stultè somniarunt olim hæretici nonnulli, qui à Christo, in cælum ascendente, dixerunt in Sole depositum esse humanum suum corpus, ex Psal. 19. 5. malè intellecto) sed in perpetuum & vbique (etsi ipsa vbique non sit) retinet sibi vnitam, quam secum in beatorum cælum (sacrarium nimirum non manufactum, Heb. 9. cap. 24.) intulit, locum isthic & sedem nobis vnā secum paraturus, nostroque nomine cælestem hereditatem aditurus, ac coram patre ist hic in æternum pro nobis appariturus intercessione, vi merito victimæ isthic perpetuò præsentis, vt æternam duraturam illic cum eo habeamus eiusdem naturæ humanæ glorificatæ communionem. Cur enim semel susceptam deponeret causa nulla idonea dari potest.

XIII. At quemadmodum in Deo Trinitas personarum non diuidit essentiæ vnitatem & essentiæ vnitas non confundit aut perimit personarum distinctionem, sic in Christo duarum naturarum conuersione, & proprietarum confusione, & naturarum realis distinctio est citra personæ diuisionem, aut humanæ naturæ à diuina separationem. Ac proinde, vt in Deo non est aliud & aliud, quia vna est essentia, sic in Christo non est alius & alius, quia vna est persona, at in eo tamen est aliud & aliud, propter naturarum distinctionem.

XIV. Mysterium hoc animæ & corporis in homine, ferri & ignis in gladio, lucis & corporis in Sole, simili vtcunque olim à veteribus Ecclesiæ Christianæ Doctoribus adumbratum fuit, at non eo plenè exprimi aut adæquatè explicari potest. Non enim *λόγος* ita se habet ad carnem, vt anima ad corpus, hoc est, vt forma ad materiam. Neque propriè & accuratè loquendo dicimus, duas esse in homine naturas, sed vnā duntaxat ex duabus constantem (homo enim non est corpus aut anima, sed tertium quid ab vtroque conflatum) at Christus simul & Deus est & homo.

XV. Iam verò, cum natura quælibet de se fundat aliquam, qua prædita est, potentiam secundum quam agit & operatur, Persona verò de eiusmodi potentia educatque eliciat actum, per quem effectum producit, fit, vt cum duæ sint in Christo naturæ maximè distinctæ, duo etiam in eo sint actionum principia, atque ex con-

sequenti operationes duplices, at vnus tamen duntaxat idemque agens, nimirum Christus θεῶς ὡς πατὴρ, vnum item ἀποτέλεσμα siue effectum θεῶς ὡς υἱὸς. Alia itaque est in eo deitatis voluntas, alia humanitatis (ipso Christo docente non quod ego volo, sed quod tu vis, fiat voluntas tua) sed vnus tantum est volens, Christus nempe. Vtraque natura in eo, quod suum est agit cum alterius communione, quia vtriusque voluntatis summa est in persona volente, adeoque & in re volita, consensus, at sine vlla tamen alterius naturæ in alteram transfusione, aut proprietatum confusione.

XVI. Quare accuratè hîc distingui decent ista, primò, ὁ θεὸς ὡς πατὴρ seu persona agēs, quæ vna duntaxat est, nempe ipse Christus, secundò ὁ θεὸς ὡς υἱὸς principium per quod agens operatur atque agit, duæ nimirum Christi Naturæ, tertio ἡ ἐνέργεια actio, quæ in Christo duplex est pro numero duarum naturarum, earum enim vnaquæque naturam seu principium suum sequitur, quartò τὸ ἐνέργημα, siue ἀποτέλεσμα opusue externum, ad salutem nostram conferens, quod vnum item est, & ad illud actiones duæ Christi κοινωνίαν quidem habent, hoc est, communionem, at non κοινῶν ἔσθαι, hoc est, communicationem.

XVII. Simili igniti gladij illustratur istud. In eo enim spectantur quatuor, primò vnitas gladij, siue gladius qui vnus est, secundò, duæ veluti naturæ, ferri & ignis, quasi duo propria, quorum alterum vim habet secandi, alterum vrendi, tertio, duæ actiones, vna ferri, quæ est secare altera ignis, quæ est vrere, quartò vnum ἀποτέλεσμα ex duabus illis actionibus emergens, atque vtriusque commune, nempe sectio vsta, vel vstio secta. Sed ne hîc quidem omnia ad amussim quadrant vel, nimium vexanda sunt atque vrgenda. Nam calor in ferro accidens est, non substantia, quod de Christi naturis dici non potest, & ignis à ferro recedere potest, ac sæpe actu recedit, at natura diuina humanam in Christo nunquam relinquit, neque humana per vnionem amittit suas proprietates, vti ferrum per ignem nigredinem & frigiditatem suam.

XVIII. Actio quæ in Christo θεῶς ὡς υἱὸς dicitur, non est vna actio ex duabus vtriusque naturæ actionibus conflata, neque ex nominis illius compositione fingere aut concipere nos oportet actionum confusionem, sed sic duntaxat duæ vnus agentis naturæ, & actionum inter se vnio & communio significatur.

XIX. Indidem honor & cultus, qui toti Christo iuxta vtramque naturam, propter officium Mediatorium debetur, emergit: toti enim personæ exhibetur, sed propter diuinam propriè naturam, humana enim seorsim & per se sumpta, non est adorationis propriè dictæ objectum & terminus, neque sic adorari potest, quin diuidatur Christus, & naturarum proprietates confundantur.

XX. Arctissimam istam, atque indiuisam (sine vlla permixtione aut confusione) duarum in Christo naturarum vnionem personalem euineunt, primò ea Scripturæ loca atque testimonia & argumenta quibus (thesibus de Deo Vno & Trino) Filium à Patre & Spiritu sancto distinctum, verè & essentialiter Deum præstruximus, vnà cum illis quibus eundem verè essentialiter hominem, nobis per omnia similem, superiore disputatione probauimus. Ex ijs enim simul iunctis necessario conficitur, eundem Iesum Nazarenum, simul esse verum Deum verumque hominem, θεὸς ὡς πατὴρ, siue θεὸς ὡς υἱὸς (hoc est Deum qui vna est homo) non verò duntaxat θεὸς ὡς πατὴρ diuinum hominem, hoc est diuinis siue excellentissimis dotibus ornatum. Non enim possunt tam diuersa & opposita, quæque sunt duarum illarum naturarum propria, vni alicui tribui, nisi in vna eademque persona concurrant, & arctissimo vnionis hypostaticæ vinculo inter se connectantur duæ illæ naturæ, quarum ista sunt propria.

XXI. Deinde, id ipsum euincunt plurimæ Scripturæ de Christo phrasæ atque locutiones, quibus id quod alterutri competit, & proprium est naturæ, tribuitur personæ ab altera natura denominatæ, vt quum quæ ad diuinam pertinent naturam, Personæ ab humana vicissim quæ humanæ sunt naturæ, Personæ à diuina denominatæ natura, tribuuntur. Sic exempli gratia Luc. 1. 35. qui ex Virgine Maria nasciturus erat, vocatur Filius Dei, id quod (inquit Angelus Mariæ) ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. & eodem capite vers. 32. Iesus Mariæ Filius, cuius Dauid dicitur esse pater, vocatur filius Altissimi; atque sic ante Elaias, cap. 7. 14. quem virgo erat paritura vocat Immanuel, hoc est, Deum nobiscum, & cap. 9. 5. qui nasciturus erat puerulus, ab eodem vocatur אלהים fortis, אבני עד, pater aternitatis, hoc est, qui ab aeterno est, qui possidet aternitatem, שר שלום princeps pacis, &c. quæ epitheta sunt diuina, Personæ, ab humana natura denominatæ, attributa. Vnde etiam rectè dicta est olim, ab Orthodoxis Ecclesiæ Christianæ patribus, beata Virgo Θεοτοκος Deipara, quia Christus (quem ipsa peperit) est, & dicitur in Scriptura, verè Deus, sic Rom. 9. 5. qui ex patribus secundum carnem ortus esse dicitur, vocatur ab Apostolo, Θεός ὅτι ὡς ἀνθρώπου ἐκ γεννητός. Et Ioan. 3. 13. Filius hominis dicitur esse in cælo, quod illi tum non conueniebat nisi respectu diuinæ naturæ, cum secundum humanam in terris versaretur, & cap. 6. 62. dicitur idem filius hominis ascendere vbi prius erat, nempe in cælum, vbi tamen prius non fuerat nisi respectu Diuinæ Naturæ, cum nondum secundum humanam in cælum ascendisset.

XXII. Contra personæ à diuina natura denominatæ, humana omnia interdum tribuuntur. vt Rom. 1. 3. Filius Dei dicitur factus ex semine Dauidis. Et 1. Corinth. 11. 8. Dominus gloriæ dicitur crucifixus. Et Act. 20. 28. Deus dicitur redemisse Ecclesiam sanguine suo. Et 1. Tim. 3. 16. Christus dicitur Deus manifestatus in carne. Hæc vera esse non possunt, nisi in vna, eademque persona concurrat diuinā & humana natura. Aliquando in vno eodemque loco vtrique naturæ vni Christo tribuitur, & contradistinctè proponitur, vt quum 1. Petr. capite tertio, versu 18. Christus dicitur, θανάτωσιν μὲν ὀδυνῶν, ζωοποιῶσιν δὲ ἁγνίσματος, hoc est morte affectus respectu humanæ naturæ, excitatus verò à mortuis per naturæ suæ diuinæ omnipotentiam, quæ sola potest mortuos excitare, id quod exprimitur ab Apostolo Paulo phrasi consimili, 2. Cor. 13. 4. vbi dicitur crucifixus est & ἀδυνατεί, hoc est, respectu infirmæ atque debilis naturæ humanæ, viuere verò ἐν δυνάμει hoc est, seipsum excitasse per potentiam suam diuinam.

XXIII. Aliquando vna duntaxat natura nominatur, sed cum tacita ad alteram oppositione, eiusque designatione, vt quum Rom. 9. 14. Christus dicitur ortus esse ex patribus τὸ κατὰ σάρκα; & Rom. 1. 3. Christus Dei Filius dicitur factus ex semine Dauidis τὸ κατὰ σάρκα; & Act. 2. 30. dicitur suscitatus ex fructu lumborum Dauidis τὸ κατὰ σάρκα. Etenim illud τὸ κατὰ σάρκα innuit aliquid aliud in Christo fuisse, iuxta quod non fuit ex patribus oriundus, nec ex fructu lumborum Dauidis suscitatus. Huc referri potest argumentum quo Christus Iudæis probat Messiam esse Deum, Math. 22. 45. si Dauid (inquit Christus) Messiam vocat Dominum suum, quomodo est eius filius? Non enim Christus vult negare Messiam esse Dauidis filium (quod tota Scriptura clamat, & eo nomine expectabatur à nota gente Iudaica) sed hoc vult innuere, aliquid esse in Messia præter naturam humanam (cuius respectu erat filius Dauidis) iuxta quod Dominus sit Dauidis, non verò eius filius, nempe naturam diuinam, quæ sola est Dominus Dauidis.

in una eademque persona, hypostatica vnione.

7

XXIV. Iuxta has Scripturę de Christo frequenter vsurpatas locutiones, verē dici potest in concreto, *Deus est homo, homo est Deus; Germen, siue filius, Davidis est* *ἐστὶν*, quia idem Christus, *qui est in forma Dei* (ipse verus Deus) *est etiam in forma serui, similis hominibus factus* Philip. 11. 6. 7. *Et qui in forma serui est, verus homo*, nobis per omnia similis, idem in forma Dei *ὁμοεικὺς τῷ θεῷ εἶναι ἀπαρχῆς ἐκ ἡμωδύμενος*. Ac falsum est dicere, Deitas est humanitas, vel humanitas est deitas, quia nomina illa abstracta non personam, sed naturas denotant, quę vnitę quidem sunt in persona, at non mutatę, neque inuicem confusę aut permixtę.

XXV. Enunciationes illę Scripturę de Christo accipi debent *καὶ ἄλλο καὶ ἄλλο*, respectu nimirum modō huius, modō illius, quę in Christo est naturę, vti ipsa se explicat Scriptura cum ait, Christum *παπαγέννητον μὲν σαρκὶ, ζωοποιγηέντα δὲ πνεύματι*, 1. Pet. 3. 18. neque enim opposita de eodem, secundum idem, verē dici possunt. Atque hæc est illa quę veteribus Ecclesię Christi anę Patribus dicta est, in huius mysterij explanatione, *ὀνομάτων ἀντιστοιχίας, ἑταλλαγῆς, καὶ ἐπὶ ζεύξεως*. Vel vt alij postmodum loqui maluerunt, *ἰδιαιμάτων κοινωνία*, *Proprietatum communicatio*: non qua vnus naturę proprietates in alteram realiter sint transfusę, (vti volunt qui *συναχυσίαν* corporis Christi hodie acriter vrgent, atque tuentur) sed qua vtriusque Naturę proprietates cum Persona communicantur.


XXVI. Ratio & modus huius vnionis non est *substantialis*, qualis est vnio Personarum S. S. Trinitatis, quarum vna est essentia atque substantia diuina, neque est propriē *naturalis*, qualis est animę & corporis, ex quarum coniunctione tertium quid naturaliter compositum constituitur. Sed neque duę Naturę coniunguntur vt vir & vxor qui fiunt vna caro: neque *λόγος* carni Christi vnitus est duntaxat *καὶ ὡς σπιν*, vt Natura est in nauī quam regit & mouet, aut vt Spiritus sanctus erat in Prophetis quos agitabat, & afflabat; nec vt amici animo & affectu sunt coniuncti, vel vt pij & sancti qui Deo adherent, eique sunt coniuncti, vnus cum eo fiunt Spiritus, hæc enim vnio est duntaxat Gratię, aut verō Glorię, quę nostri & Dei non vnā facit Personam: neque vnus est Christus respectu tantum summe inter Diuinam & Humanam eius voluntatem consensionis, qui varij sunt modi quibus Nestorius, quum vrgebatur, *λόγος* in Christo presentiam ita explicabat, vt nihilominus vnā in eo non agnosceret Personam.

XXVII. Sed est Vnionis illius modus planē ineffibilis atque *ἀκατάληκτος* arctissimusque & indissolubilis, atque in eo vnioni hypostaticę animę & corporis in hominē similis, quod quęcunque vtrique Naturę Humanę & Diuinę conueniunt, ac propria sunt, eade vno Christo dicuntur & ei tribuuntur, quomodo de vno eodemque homine indiuiduo (qui persona est & dicitur) ea omnia dicuntur quę tum corporis, tum animę, sunt propria. Nam si huiusmodi non esset illa Vnio, duę essent in Christo Personę, non vnus esset Christus, non vnus Dominus, non vnus hominum Seruator atque Redemptor, non vnus Dei & hominum Mediator atque Aduocatus, contra quam docet tota Scriptura. 1. Tim. 2. 5. Ioh. 2. 1. Rom. 5. 17. Cor. 8. 6.

XXVIII. Sic ergo secundum Scripturas ab vna parte tenenda est, aduersus Nestorium, arcta & indissolubilis duarum Naturarum in Christo vnio, vt ne cum eo Christum in duos disperamus, neue cum naturis Personas in eo multiplicemus, ab altera cauendum est ne cum Eutyche, eiusque sobole, naturas ita coniungamus, vt eas commiscendo confundamus, euertamus, perimamus, aut tertiam qui ab

8 De duarum Christi naturarum, diuina & humana, &c.

utroque diuersum componamus; medijs inter vtrumque scopulum tutissimi ibimus, si eas dicamus in Christo coniunctas in vnitae non naturæ sed Personæ; cui vni Domino nostro Iesu Christo (cum Patre & Spiritu Sancto) soli vero Deo, immortalis atque inuisibili, sit honos, laus, & gloria in sæcula sæculorum. AMEN.



Veterum Patrum aliquot de duarum in Christo naturarum
Vnionem hypostatica, Testimonia.


AUGUST. TRACT. 228 IN IOAN.

A quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, idem ipse Christus;
Homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, & manebat per id
quod Deus erat. Ibat per id quod uno loco erat, manebat per id quod ubi-
que erat.

VIGILIVS, Lib. 2. contra Eutychem.

Quicquid est proprium Verbi commune fit cum Carne, & vicissim
quicquid est proprium Carnis fit commune cum Verbo. Propter hanc
communione[m] quam, saluam Naturarum proprietate, Personæ vnio præ-
stat, Filius hominis dicitur descendisse de cælo, & Deus dicitur sepultus:
secundum proprietatem Naturæ sola Caro sepulta est, secundum vnionem
Personæ Deus sepultus est.

FINIS.



THESES THEOLOGICÆ.
DE INCARNATIONE DOMINI
NOSTRI IESV CHRISTI, DEQUE
illius, & vnionis hypostaticæ, effectis

Præside . LVDOVICO CAPPELLO.

Respondente GASPARE GAVTRONO, Iuliodunensi.

THESIS PRIMA.



OMINVM nostrum Iesum Christum fuisse atque adeo debuisse esse θεάνθρωπον, Deum & Hominem, disputatione de Christo Mediatore ostendimus. Quomodo talis fuerit, nempe, non vt μελιχρως est mel & vinum simul, per substantiarum commixtionem atque confusio- nem, neque vt nauta est in naui quam regit, per παρὰ ταν duntaxat, sed, (vt anima rationalis & corpus vnum hominem, vnam personam, efficiunt) duarum naturarum, diuinæ & humanæ, per vnionem hypostaticam, in vna eademque persona, arctissima & indissolubili cōiunctione, præcedentibus de vnione hypostatica Thesis demonstratum est. Videndum iam quo pacto facta sit illa vnio, quidque eam consecutum sit, siue quæ fuerint eius effecta.

I I. Facta est illa vnio per eam quam Græci Patres orthodoxi, aduersus Hæreticos disputantes, alij ἐναρθρώπησιν, alij ἐνσωμάτωσιν, alij denique ἐσαρκωσιν: Latini Incarnationem dixere, quia λόγος σαρκὶ ἐγένετο, vti nos docet diuinus Euangelista, & charissimus Christi Discipulus Ioannes, Euangelij sui statim initio, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum illud, ὃς λόγος σαρκὶ ἐγένετο, & Verbum illud caro factum est, & habitauit inter nos vers. 14. nempe λόγος ille est secunda SS. Trinitatis persona, Filius Dei, Patri συναιδώς & ὁμοῦνός coæternus & consubstantialis (vti ante hac Thesis de Deo vno & Trino ostensum est) qui caro dicitur factus quia humanam naturam tam arcto & indissolubili vinculo sibi vniuit, vt sic iunctæ duæ illæ naturæ non duas deinceps, sed vnam duntaxat eandemque constituent personam, vti præcedentibus de vnione hypostatica Thesis demonstratum est.

III. Hanc etiam Paulus Christi Apostolus, in tertium cælum raptus, nos docet, Phil. 2.6. Cum de Christo dicit quod cum ὃς μορφῇ θεῷ esset, nec duceret rapinam ἵνα ἵσται θεῷ æqualem esse Deo, Tamen ἐκένωσεν se ipsum exinanivit ὡς φαν δούλος λαλῶν assumpta serui forma, ὃς ὁμοιωθεὶς ἀνθρώπων γένους, similis hominibus factus, Et ὡς ἴσται ὁμοιωθεὶς ὡς φαν ὡς φαν Dei forma, per quam ὡς ἴσται τῷ θεῷ similis erat Deo, nisi diuina natura, secundum quam Deo Patri verè ὁμοῦνός illi per omnia similis atque æqualis erat. Quid item μορφῇ δούλου, ὡς ἴσται ἀνθρώπων, & ὡς ἴσται ἀνθρώπων, nisi natura nostra humana infirma & humilis, secundum quam factus est nobis per omnia similis excepto peccato. Heb. 4. 15. Hanc formam, seu naturam, inquit Apostolus, ἑλάβεν assumpsit, ac-



cepit, per eamque *similis hominibus factus est*, & habitu repertus est ut homo. Qui potuit apertius & *ἰσακλουήτως* duarum naturarum diuinæ & humanæ vnio hypostatica significari, & humanæ à diuina assumptio in vnitatem personæ exprimi?

IV. Per hanc *τὸν λόγον* actionem non natura naturam, neque persona personam, sed persona naturam assumpsit, sibi que sociavit. Non natura, inquam, diuina in genere & in communi, sed persona diuina, & quidem secunda, nempe *ὁ λόγος*, assumpsit humanam. Actiones enim, ut loquuntur, sunt suppositorum, hoc est, persona est quæ agit, non natura, etsi per naturam agat. Deinde, si natura diuina in genere & in communi assumpsisset humanam, quandoquidem natura illa communis est tribus SS. Trinitatis personis, tres personæ essent incarnatæ, quod Scripturæ aduersatur, quæ solum Filium seu *λόγον* docet esse Incarnatum. Persona etiam non personam assumpsit, diuina nempe humanam, sic enim duæ essent in Christo personæ, Id quod item Scripturæ contrarium est, quæ vnum Christum, non geminum, nobis proponit. Sed persona diuina, *λόγος* scilicet, naturam humanam assumpsit, eamque non vniuersalem sem indeterminatam, ut est in omnibus indiuiduis hominibus, (Non enim omnes indiuiduos homines, sed vnum duntaxat, assumpsit *ὁ λόγος*) sed determinatam & singularem, in determinato & indiuiduo homine, Iesu nempe Nazareno B. Virginis Mariæ Filio.

V. Quin & eam assumpsit *ἀνθρώπου*, siue propriâ subsistentiâ atque personalitate carentem, (hoc est, extra *λόγον* minimè subsistentem; alioqui duæ essent in Christo personæ) & assumptione fecit eam *τῷ λόγῳ ἑνωπύσασθαι*. Sine eo enim, seu extra eum, nunquam substituit, in eo verò, simul atque assumpta est, perpetuò substituit. Quod hinc confirmatur, quod B. Virgo non dicitur concepisse carnem simpliciter, siue merum hominem (propria scilicet hypostasi præditum,) sed dicitur concepisse *Filium altissimi*, Filium Dei, Luc. 1. 31. 32. *Concipies in utero & paries Filium, Is magnus erit & Filius altissimi vocabitur*. Et vers. 35. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te, propterea id quod de te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei*.

VI. Quamuis autem natura diuina sit tribus SS. Trinitatis personis communis atque indiuisa, tamen quia persona à natura distinguitur, magisque adhuc personæ à se inuicem & inter se distinguuntur, propterea non natura, sed persona, dicitur assumpsisse carnem nostram. Indidemque est quod nec tres personæ sunt incarnatæ, sed vna duntaxat, ut dictum. Cum nempe natura atque essentia diuina aliter sit in Patre, nempe *ἀγενήτως*, aliter in Filio, nempe *γενήτως*, aliter denique in Spiritu Sancto, nempe per *ἐκκρίσιν* ab utroque (siquidem personæ in diuinis sunt *πρόσωπα ὑπάρχουσας*, hoc est, ipsa diuina essentia diuersimodè existens) potuit natura nostra humana assumi à diuina secundum vnum horum modorum, ita ut secundum alios non sit assumpta, quandoquidem hi modi non solum ratione, sed etiam realiter, inter se differunt, atque ita potuit duntaxat vna persona, sine cæteris, carnem nostram assumere. Persona ergo immediatè, natura verò mediatè per personam, seu in persona, est incarnata, vnde Deus dicitur ab Apostolo *in carne manifestatus*, 1. Tim. 3. 16. neque tamen propterea Pater aut Spiritus Sanctus vllibi dicuntur, aut à nobis dicendi sunt, incarnati, nempe Deus ille manifestatus in carne est Dominus noster Iesus Christus, qui est *Deus magnus*, Tit. 2. 13. *ἀληθεὶς Θεός*, 1. Ioan. 5. 20. *Deus denique super omnia in secula benedictus* Rom. 9. 5. à Patre & Spiritu Sancto distinctus.

VII. Hæc incarnatio Domini nostri Iesu Christi facta est per eius conceptionem in utero B. Virginis Mariæ. Conceptio autem ista duobus modis intelligitur, nimirum *vel actinè & inchoatinè* (ut ita dicam,) *vel passinè & terminatinè*. *Actinè* sumpta, fa-

Et est non ordinaria naturæ vi, seu ratione seminali, ex carnis & sanguinis libidine, atque viri & foeminæ coniunctione, sed virtute quadam planè extraordinaria, atque diuina, quam intercedere ad hoc oportuit, tum ad sanctificandam carnem illam assumendam, hoc est, ad eam à labe originalis peccati (qua omnes naturali ratione, post primum Adami peccatum, profeminati inficiuntur) puram & immunem conseruandam, tum ad eam diuinæ naturæ, seu τὴν λόγον personæ, vniendam.

VIII Hæc Conceptio actiue sumpta, qua Dei opus est ad extra, actio est tribus quidem SS. Trinitatis personis communis, at ordine tamen agendi inter eas conuenienter seruato facta, ita vt Pater in Filio per Spiritum Sanctum egerit, vnde est quod æconomia illa sapientissima, quæ inter eas seruatur, Spiritui sancto singulariter tribuitur, Luc. 1. 35. *Spiritus Sanctus in te superueniet, & in Symbolo Apostolico dicitur Christus conceptus ex Spiritu Sancto*, iuxta id quod habetur Matth. 1. 18. *Inuenta est uterum ferre ex Spiritu Sancto*. Et vers. 20. *ὅτι ἐν αὐτῇ γυνὴ ἐκ ἀνέμου ἔσται ἄνθρωπος, Quod in ea genitum est ex Spiritu Sancto est*.

I X. Eadem agendi inter illas personas æconomia in creatione pariter iam ante fuerat seruata. Deus enim Pater (à quo fons est omnis diuinitatis) per λόγον, hoc est, Christum Filium suum, omnia cōdidit; λόγος autem, qui est longè efficacissimus ἐνέργεια πνεύματος, per Dei Spiritum, qui incubabat aquis, omnia executus est. Nam cui Dominus dixit, *fiat firmamentum*, nisi Spiritui Sancto? Vnde Deus dicitur, *Verbo suo fundasse terram & celos extendisse Spiritu oris sui*, Psal. 33. 6. Et sanè Spiritus Sanctus passim dicitur *virtus Dei, virtus altissimi*. Luc. 1. 35. Omnia autem à Deo, virtute & potentia sua, sunt condita.

X. Neque magis mirum aut absurdum videri debet, λόγον (vna cum Patre & Spiritu Sancto) ad huius carnis, quam ipse induit, primam conformationem interuenisse, atque cooperatum esse, quàm ad eiusdem mortuæ, & in sepulchro iacentis, exsuscitationem à mortuis. Ipsum autem ad illius à mortuis excitationem, vnà cum Patre & Spiritu Sancto, concurrisse planum est ex eo quod ipse in Euangelio Iudeis dicit, *Destruite hoc templum & intra tres dies excitabo illud*. Patrem autem excitasse eum à mortuis tota Scriptura clamat, Act. 2. 24. 32. & 3. 26. & 40. Quomodo autem nisi per Spiritum sanctum, qui est virtus Patris, per quem ipse agit & operatur, cum nihil immediatè ad extra operetur, sed omnia per Filium in Spiritu Sancto.

XI. Etsi autem Spiritus Sanctus singulariter in conceptione interuenerit, non tamen ideo Pater est, aut dicitur, Christi, neque Christus dicitur vnquam eius Filius, quia non ex Spiritu sancti substantia expressa est eius caro (quod in generatione, & filiationis propriè dictæ ratione, requiritur) sed eius duntaxat virtute & vi infinita fecundata est B. Virginis substantia, vt præter & supra naturæ ordinem educeretur & efformaretur Christi caro.

XII. Conceptio passiue, vel subiectiue & terminatiue, sumpta propria est τῷ λόγῳ, solus enim λόγος seu Dei Filius (non Pater non Spiritus sanctus) conceptus & natus est ex Virgine Maria. Etsi enim virtute tribus personis communi peracta est, vti dictum, actio illa; terminata est tamen in secunda, Vti cum tres Virgines communem vesti texendæ operam nauant, quam vestem vna duntaxat earum induit. Itaque tota quidem Trinitas operata est in hoc incarnationis mysterio, solus tamen λόγος dicitur incarnatus, quia assumpta est natura nostra immediatè in illud quod est proprium Filio (non in illud quod commune est illi cum Patre & Spiritu Sancto) vt pote assumpta in vnitatem non naturæ, sed personæ. Quare hic distinguendum est *principium à termino*. Illud est tribus personis cōmune, hic solius Filij proprius est. Atque sic incarnatio inchoatiue & actiue sumpta, actio est totius Trinitatis indiuisa, naturam humanam as-

sumendam formantis; *Passivè* autem & *terminativè* accepta est ipsa naturæ humanæ assumptio, siue duarum naturarum inter se unio, quæ est Filij propria.

XIII. Caro illa Christi à λόγῳ assumpta, & in utero B. Virginis concepta, non est è nihilo, subitò in ipso conceptionis momento creata. Non ex cœlesti aliqua materia efformata, indeque per uterum B. Virginis, instar aquæ per tubulum aut canalem, traducta. Non ex Spiritus sancti essentia decisa, sed ex B. Virginis substantia, atque corpore, desumpta. Alioqui nec verè Mariæ Filius, fructusque ventris eius esset, nec Maria mater eius diceretur, nec verus, nobis per omnia similis, homo esset, nec David, aut Abraham Filius, nec *mulieris semen* diceretur, nec ab Adamo genealogia eius duceretur, quæ omnia tamen de eo manifestè & exertè in scriptura dicuntur. Nam quod è cœlo (non ut prior Adam è terra) dicitur esse, 1. Cor. 15. 47. Id dictum non est ab Apostolo respectu materiæ corporis ipsius, sed vel respectu λόγῳ, qui è cœlo in uterum Virginis veluti descendit, ut isthic Carni illi iungeretur, vel respectu modi quo cōceptus est Christus, qui diuinus planè fuit, atque supernaturalis, nimirum è Spiritu sancto. Vel denique ratione cœlestis atque ἀπαράβατοῦ vitæ Christi, (eorumque omnium qui Christi sunt,) in cœlis, post beatam resurrectionem, agendæ, oppositè ad vitam animalem, quam Adamus, etiam ante peccatum, vivebat in paradiso.

XIV. Quod item è Spiritu sancto conceptus in Symbolo Apostolico dicitur, eo non *materialis*, sed *efficiens* causa notatur, (ut cum omnia dicuntur esse ex Deo, ἐκ τοῦ θεοῦ, Rom. 11. 36, hoc est, per eum tanquam per efficientem causam) alioqui & Deus mutabilis esset atque finitus (ut pore cuius substantiæ pars aliqua in carnem esset mutata, & loco, utero nempe Virginis, inclusa ad tempus) & Christus non homo, sed Spiritus esset. Nam sicut quod ex carnis substantia natum est, caro est, ita si ex Spiritus substantia natus esset, Spiritus esset: generans enim & generatum oportet esse eiusdem speciei. Ut igitur respectu diuinæ naturæ Christus fuit ἀμὴν, ita respectu humanæ est ἀπαράβατος, Hebr. 5. 2. 3. Simul ergo & Patrem habet atque matrem, atque vnâ etiam est ἀπαράβατος ὁ ἀμὴν, sed diuerso diuersarum naturarum respectu. Nam respectu diuinæ Patrem habet, non matrem, respectu humanæ matrem habet, non verò Patrem. Quare & huius respectu non dicitur *genitus*, sed *factus*, γενόμενος ἐκ σπέρματος Δαβὶδ Rom. 1. 3. γενόμενος ἐκ γυναικὸς, Galat. 4. γενόμενος, inquam, *factus*, non verò γενόμενος *genitus*.

XV. Conceptionem, seu corporis Christi formationem, in utero B. Virginis, volunt nonnulli factam esse in instanti seu momento, ne cogantur admittere, vel aliquid Christi substituisse extra λόγῳ, (nempe ἐμβρυον nondum humanâ formâ, siue animâ, informatum,) vel in λόγῳ substituisse aliquid quod non fuerit homo, idem nempe ἐμβρυον nondum animatum; sed primò repugnat illud scripturæ, quæ docet eum *per omnia nobis similem esse factum excepto peccato* Heb. 4. 15. quod Scripturæ dictum cur non tam ad ipsum corporis Christi in utero formationis modum, more naturæ consueto, per momenta & temporis interualla fieri solitum, quàm ad eiusdem in eodem utero legitimum & naturale, per nouem menses, incrementum, trahi & referri debeat causa nulla est idonea: neque enim (contra quàm illi putant) magis absurdum videri debet in λόγῳ substituisse ἐμβρυον Christi nondum animatum, quàm in mortis triduo corpus eius inanimatum in eodem λόγῳ substituisse piè credendum est, non soluta vnionis hypostaticæ per illud tempus compage atque vinculo, vel si per illud triduum corpus inani me substituit extra λόγῳ, non est magis verendum dicere ἐμβρυον Christi, nondum animatum, extitisse extra λόγῳ.

XVI. Conceptionem hanc secuta est, post nouem menses, similis nostræ natiuitas,

qua Christus secundum carnem in lucem primum est editus, solutis vteri claustris atque repagulis, consueto naturæ more, neque enim cum nonnullis comminiscenda sunt, extra & contra scripturam, miracula, sine necessitate, ac contra naturam corporum fingere Christi corpus per materni vteri substantiam, penetrasse & emeruisse, uti solares radij per vitrum. Neque verò eiusmodi Christi natiuitas nostræ similis, & more naturæ consueto, quidquam (vel hilum) intemeratæ B. Mariæ, matris ipsius, virginitati officit, quæ in eo est propriè posita, quod virum non cognouit, quodque conceptio illa non viri, sed Spiritus sancti operâ facta est, nec magis virginitatem illam lædit vteri in partu apertio, quàm ipsa in vtero conceptio, vterique gestatio.

XVI. Incarnationis istius Christi effectum primarium est illa (de qua præcedentibus Thesisibus actum est) duarum eius naturarum, Diuinæ & humanæ, hypostatica vnio, cuius vnionis necessarium consecrarium est ea quæ dicitur *ἰδιωματῶν κοινωνία*, quæ non est posita in reali collatione atque trāsfusionē proprietatum diuinarum in naturam humanam, sed in vtrarumque concursu, conuenientia, atque communione, in vna eademque *ὑπόστασις* persona, cui personæ, (vndecunque denominetur, siue ab hac, siue ab illa natura, siue etiam nominibus quæ ex æquo personæ, secundum vtramque naturam, conueniunt) tribuuntur in scriptura modò humanæ modò diuinæ proprietates, actiones, & effecta.

XVII. Phrasēs Scripturæ de Christo, quibus illa *ἰδιωματῶν κοινωνία* significatur, sunt argumentum necessarium quo illa vnio demonstratur, (vtrā nobis factum est, præcedentibus de vnione hypostatica Thesisibus) est enim argumentum ab effecto ad causam, vel à consequenti ad id quod illud antecedit necessariò. De quibus phrasibus aliquid plenius & paulò accuratius nobis iam venit dicendum, ut sic clarius perspiciatur, & comprobetur illa naturarum Christi personalis vnio.

XIX. In illis Scripturæ de Christo phrasibus, duo sunt considerata & distinguenda, earum nimirum subiectum, & prædicatum, seu attributum, quorum vtrumque triplex est, seu tripliciter enunciatum. Cum enim in Christo duæ sint naturæ in vna eademque persona coniunctæ, quando aliquid Christo in scriptura attribuitur, siue de eo dicitur aut prædicatur, attributum illud notat vel diuinam, vel humanam eius naturam, vel vtramque simul, seu hypostasim ex vtraque veluti compositam: subiectum similiter, de quo prædicatio fit, notat pariter alterum horum trium, hoc est, Christus denominatur vel à Diuina, vel ab humana eius natura, vel ab vtraque simul, hoc est significatur nomine quo persona designatur, quæ vtramque naturam complectitur.

XX. Alia ergo attribuuntur Christo respectu vel Diuinæ naturæ eius, (ut quum dicitur *æternus, omnipotens, omniscius, immensus*) vel personæ diuinæ, ut quum dicitur *Filius Dei, Verbum, Imago Dei, splendor gloria, & character eius hypostaseos*, Alia ei tribuuntur ratione humanæ naturæ, ut quum Christus dicitur *esurire, sitire, tristari, fatigari, ascendere in cælum, descendere de cælo*. Alia ei tribuuntur respectu vtriusque naturæ siue personæ ex utraque natura compositæ, ut quum Christus dicitur, *Mediator, Pontifex, Advocatus, Redemptor, Intercessor*; Hæc enim illi competunt, ratione non huius, aut illius, distinctæ & ieparatim, naturæ, sed ratione vtriusque coniunctim, siue ratione personæ ex vtraque natura constantis; non est enim *Redemptor, Pontifex, Mediator*, &c. quā Deus tantum, (nam quā Deus pati non potuit) neque quā homo tantum, quia hominis vteri passio non fuisset satisfactoria, ac sufficiens, sed *Redemptor* est quā *Dei & hominis*. Officij itaque nomina & appellationes, ut *Pontificis, Sacerdotis, Regis, Seruatoris, Redemptoris, Mediatoris, Advocati, Capitis Ecclesie*, &c. Personæ Christi

fi competunt, & tribuuntur, non secundum hanc, vel illam distinctiōem, sed secundum utramque naturam: Officium enim propriū, & primò competit personæ non naturæ, quemadmodum actiones, ad quas exercendas ordinatur munus seu officium, sunt propriæ suppositorum, non naturarum, licet naturæ sint principia à quibus oriuntur actiones, unde est quod quamvis Christus quædam agit modò secundum hanc, modò secundum illam naturam, vna tamen actio eius est *θεοεικὴ*, vnum *ἀπολέκτου*, quia vnum est agens, Christus, in munere & officio ad actiones illas exercendas à Deo ordinatus & constitutus, cuius muneris Mediatorij ratione & respectu, adorati o illi conuenit, & vna adoratione adorandus est Christus totus, etsi non totum Christi, quia respectu propriæ diuinæ naturæ, non humanæ, conuenit illi adoratio.

XXI. Pariter subiectum phraseos, quæ de Christo usurpatur, notat vel diuinam eius naturam, idque vel ratione essentiae, vt vox *Deus*, vel ratione personæ, vt est appellatio *Filius Dei*, *λόγος μονογεγὸς*, vel notat humanam eius naturam, vt sunt vocabula, *homo, vir*, & (ex nonnullorum interpretum sententia) *Filius hominis*, vel denique declarat utramque naturam, seu personam ex utraque natura constantem, vt sunt nomina *Christus, Iesus, Emmanuel*.

XXII. Cum ergo subiectum phraseos diuinam naturam declarat, tum tria usurpantur enuntiationum genera, nam primò naturæ diuinæ attributum, aut proprietas, vel actio seu opus, dicitur de subiecto illo diuino, atque tam enuntiatio est propria, vt si *λόγος*, *Verbum* dicitur æternum, immensum, omnipotens. Huc pertinent ac referuntur ista, *in principio erat Verbum, Verbum erat apud Deum, Deus erat Verbum, sicut Pater viuificat mortuos, sic & Filius quos vult viuificat*. In his enim æternitas, omnipotentia, natura diuina, de Christo Deo (*λόγος* nempe, Deique Filio) prædicantur, eique tribuuntur.

XXIII. Secundò, humanæ naturæ attributum, seu proprietas, vel opus atque actio, enuntiatur de Diuino subiecto, vt quum dicitur Dei Filius *factus ex muliere, factus sub lege*, Galat. 4. 4. item quum *λόγος* dicitur *factus esse caro*, Ioh. 1. 14. Iuxta hæc dici potest *Deus est homo*, item *Deus ex virgine Maria natus est*, cui æquipollet ista, *Maria Deum peperit*, siue *Maria est θεοτόκος, Deipara, Dei genitrix*: quam appellationem Concilium Ephesinum, aduersus Nestorium & eius sequaces, autoritate sua confirmauit, sensus nempe est, Maria cum genuit qui verè & naturâ Deus est, siue genuit personam naturâ verè diuinâ præditam; etsi enim sola natura humana ex B. Virginis substantia ducta & efformata est, tamen quia natura illa nunquam sola fuit, sed *ἁπλῶς* personæ (à qua assumpta fuit) perpetuo & indiuiduo nexu semper coniuncta, ideo Deum, hoc est personam ex Deo & homine constantem, non nudum & merum hominem, peperisse rectè dicitur.

XXIV. Sic Dominus gloria dicitur fuisse crucifixus, 1. Cor. 11. 8. & Deus sanguine suo redemisse Ecclesiam suam. Act. 28. & Filius Dei, *imago Dei inuisibilis, pacificasse omnia per crucis sanguinem*, Coloss. 1. 20. In his passio, mors, crux, sanguis, Deo, Dei Filio, tribuuntur, quæ tamen hominis propria sunt. Harum, aliarum que eiusmodi locutionum veritas haud aliter constare potest, quàm si vnitatis personæ Christi, & vnionis in ea naturarum, ratio habeatur. Atque in his phrasibus potissimum conspicua est illa, de qua diximus, *ἰδιωματὸν κοινωνία*; qua personæ, ab vna natura denominatæ, tribuuntur ea quæ sunt alterius naturæ propria.

XXV. Tertio, attributum utrique naturæ commune dicitur de subiecto à diuina natura denominato, vt quum Apostolus ait, *nos reconciliatos esse Deo per mortem Filij eius, cum inimici eius essemus*. Coloss. 1. 21. Reconciliatio enim, vt & redemptio,

Christo convenit secundum non hanc vel illam seorsim, sed secundum utramque naturam, tribuitur autem illic Christo quatenus est ἀρχὴ, πατὴρ ὁ αὐτὸς καὶ αὐτός, vel. 18. & Imago Dei invisibilis ver. 15. hoc est, reuera quatenus est Deus.

XXVI. Quum autem phraseos subiectum denotat humanam Christi naturam, tum triplex etiam occurrit enuntiationum genus, nam aliquando predicatum est diuinæ naturæ attributum seu affectio, aut proprietas quedam, vel actio, aut opus diuinum, quæ Christo ab humana natura denominato tribuuntur, ut quum Ioh. 3. 13. & 6. 62. Christus Filius hominis dicitur esse in Cælo, descendisse de Cælo, & ascendere in Cælum ubi prius fuerat: ubi esse in Cælo & descendere de Cælo Christo homini tribuitur, cum tamen illi convenire tum temporis non posset, nisi respectu naturæ diuinæ, nam humana nondum euecta tum erat in cælum, sed quamvis diuinitatis id proprium erat tamen quia in eadem persona cum carne inseparabiliter diuinitas coniuncta fuit, ideo quod proprium est naturæ diuinæ tribuitur personæ ab humana natura denominatæ. In his rursus conspicua est διακρίσις.

XXVII. Aliquando, imo passim, humana de humanis predicantur, ut quum filius hominis, Iesus Nazarenus, dicitur fleuisse, edisse, bibisse, esuriisse, fatigatus, cæsus, passus esse, resurrexisse, ascendisse in cælum: quæ phrasees propriæ sunt omnes, humanæ enim naturæ (seu potius Christo ab ea denominato) tribuuntur ea quæ ei conveniunt, maximèque propria sunt.

XXVIII. Tertiò, quod utriusque naturæ commune est dicitur de subiecto à natura humana denominato, ut quum Apostolus dicit, unum esse Dei & hominum Mediatorem, Christum Iesum, nam Christus Iesus hominem notat, Mediator autem est & Redemptor secundum utramque naturam, non secundum hanc vel illam sigillatim, Sic per hominem dicitur esse resurrectio mortuorum; ubi homini tribuitur resurrectio seu excitatio mortuorum, quæ communis est utrique naturæ Christi, humanæ quidem, respectu passionis, per quam commeritus est fidelium excitationem à mortuis, quia passio illa fuit satisfactoria; Diuinæ verò, respectu ipsius meriti, & efficaciar, seu efficientiar, eius enim propriè vi, atque efficaciar, excitantur mortui.

XXIX. Denique, quum subiectum enuntiationis est nomen utrique naturæ commune, tria etiam nascuntur predicationum genera; Nam primò, quod diuinæ est naturæ de persona, siue de utraque in illa persona natura, dicitur, ut quum Christus dicitur υἱὸς υἱογενὲς, ex patre ante secula natus. Psal. 2. 7. quo & referuntur ista, Antequam Abraham esset ego sum, Ioh. 8. 58. Ego & pater unum sumus. Ioh. 10. Ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi, Matth. 28. 20. Ego sum in patre & pater in me, Ioh. 17. aliaque his similia: secundò, de eadem persona Christi dicuntur quæ propria sunt naturæ humanæ, ut quum Christus dicitur conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus, Crucifixus, mortuus, sepultus; quum dicitur Filius, & germen David, Radix Iesse, Filius & semen Abraha, semen mulieris, factus ex semine David, & ortus ex Israelitis secundum carnem, aliaque eiusmodi infinita.

XXX. Eiusmodi locutiones sunt frequentissimæ, maximèque propriæ, & directæ ac naturales, sunt enim his similes, homo, vel Petrus, edit, bibit, dormit, &c. & idem homo, vel Petrus, intelligit, vult, disputat; &c. omnia enim ista propriè conveniunt Petro, sed diuerso respectu, nempe edere, bibere, dormire conveniunt illi respectu corporis, intelligere verò, velle, disputare, respectu animæ rationalis. Sic Christo competit esse antequam Abraham esset, esse unum cum patre, esse in patre, natum esse à patre ante secula, item, mortuum, sepultum esse, &c. sed illa ei conveniunt respectu naturæ diuinæ, ista respectu humanæ: indeque certò colligitur, utramque naturam in eo con-

currere ac coniungi, quomodo anima & corpus in eodem homine concurrunt, ad vnius eiusdemque personæ constitutionem.

XX XI. Postremo, de persona Christi enunciantur ea quæ vtriusque naturæ sunt communia, vt, *Christus est Noui Testamenti Mediator*, Heb. 9. 15. *Christus Iesus est Advocatus noster*, 1. Ioh. 11. 1. *est propitiatio pro peccatis nostris*, ibidem vers. 2. *ipse est pax nostra*, Eph. 11. 14. *factus est nobis à Deo Sapientia; Iustitia, Sanctificatio & Redemptio* 1. Cor. 1. 30. hæc enim (vti supra dictum est) Christo conveniunt secundum vtramque naturam, non secundum alterutram duntaxat, proindeque ex illis vtriusque naturæ vnio, in vnitæte personæ, firmissimè colligitur. Atque huc referri possunt hæc & alia his similia, *caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus, sanguis Christi mundat nos ab omni peccato, eiusdem sanguis purgat nos ab operibus mortuis, sanctificati sumus per oblationem Christi semel factam*, &c. hæc enim istis æquipollent, Christus carne sua, sanguine suo, verè nos pascit, potat, purgat, mundat, sanctificat: id autem fit quatenus caro illa, sanguis ille, est Dei caro & sanguis, propterea quæ αὐτῶν sufficiens quo Iustitiæ diuinæ satisfacit pro peccatis nostris quæ ideo nobis condonantur, ab illisque purgamur, mundamur, sanctificamur, vitæ æternæ restituimur, in ea que perpetuò conseruamur, vti cibo & potu vita hæc animalis conseruatur.

XX XII. Denique plurimæ sunt de Christo in scriptura locutiones, in quibus, in eodem orationis veluti ambitu, varia idiomata, seu proprietates, veluti commiscuntur, quarum aliæ ad diuinam, aliæ ad humanam, aliæ ad vtramque naturam pertinent, vt sunt ista, aliaque his similia, *cum videritis Filium hominis ascendentem* (in cælum scilicet, idque respectu humanæ naturæ) *ubi erat prius*, respectu nimirum naturæ diuinæ; nam secundum humanam nondum isthic fuerat, Ioh. 6. 62. item, Ioh. 1. 30. Iohannes Baptista de Christo sic loquitur, *hic est de quo dicebam. post me venit vir* (quæ homo est) *qui ante me est, quia coram me in prior me est*, nempe quæ Deus est, sic Matth. 3. 11. *post me venit* (quæ homo) *qui fortior est me*, quæ Deus est: Christus item ipse, Ioh. 16. 28. *exiui à patre, & veni in mundum*, (quæ Deus) *Nunc relinquo mundum, & vado ad patrem*, quæ homo; item de Spiritu sancto, Ioh. 16. 14. *ille glorificabit me*, (quæ homo sum) *quia de meo accipiet*, quæ Deus sum nimirum. Denique Paulus Epistola ad Heb. 2. 14. *postquam pueri* (hoc est fideles,) *carni & sanguini participant, & ille similiter illis communicauit*, (quatenus homo est) *vt per mortem deleteret eum qui habet mortis imperium*, hoc vtriusque naturæ commune est, vt demonstratum est, quæ omnia eò spectant vt naturarum indiuisa vnio in personæ vnitæte significetur.

XX X I I I. Hæc, & alia infinita his similia, de Christo in scriptura congruenter dicuntur, & accommodatè ad communem & humanum loquendum modum, atque morem. Cum enim homo persona sit cõstans & anima & corpore, duabus diuersissimis rebus seu naturis, fit vt de vno eodemque homine, nempe Petro, enuntientur, modò ea quæ ad animam, seu spirituales eius substantias, pertinent, vt *velle, intelligere*, modò ea quæ ad corpus spectant, vt *dormire, edere, bibere*, &c. modò quæ ad vtramque, siue totam hominis personam, vt *scribere, loqui, videre*, &c. cum itaque pari modo, de vno eodemque Christo, Iesu Nazareno, scriptura dicat & enuntiet modò ea quæ vni Deo competunt, modò ea quæ soli homini conueniunt, modò ea quæ vtriusque quadrant, liquet inde rectissimè colligi atque concludi, eundem illum Iesum Christum Nazarenum simul esse & Deum & hominem in vna eademque persona.

XX X I V. Quod vt planius perspiciatur, obseruandum est res de quibus aliquid enuntiatur esse vel abstractas, vt *Iustitia, sapientia, fortitudo*, vel concretas, vt *Iustus, fortis, sapiens*. Abstractæ; seu quæ in abstracto enunciantur, res sunt, seu naturæ, simplices

Domini Nostri Iesæ Christi.

17

plices & inuicem distinctæ, quæque propterea inuicem aliæ de alijs non dicuntur, neque enim dicitur *Iustitia est sapientia*, neque dicitur *sapientia est fortitudo*. Concretæ, seu quæ in concreto enunciantur, sunt compositæ, notantque subiectum aliquo accidentis, seu attributo, præditum & affectum, *Iustus enim sapiens, fortis*, notat hominem Iustitiâ, sapientiâ, fortitudine præditum: concreta inuicem, alia de alijs, dici possunt, iustus enim esse, & dici potest sapiens & fortis, & vice versa fortis & sapiens esse & dici potest iustus, quia nimirum in vno eodemque homine concurrere possunt hæc tria, iustitia, sapientia & fortitudo.

XX XV. Nomina quæ hominem, seu personam, vel suppositum significant, rationem habent concreti, denotant enim quid compositum, in quo varia concurrunt atque conueniunt. Nam in homine vel Petro duo concurrunt, anima & corpus, quæ respectu Petri rationem habent abstracti, notant enim naturas, respectu ipsius Petri, veluti simplices, ideo inuicem de se non prædicantur. Neque enim dicitur *anima est corpus*, vel *corpus est anima*, sed Petrus ipse, eorum respectu, dici potest modò corpus, modò anima, *Petrus est corpus*, *Petrus est anima*, hoc est reuera, *Petrus est corporeus*, *Petrus est animalis*, seu *spiritualis*, & *incorporeus*. Dicitur etiam potest, *corporeus est incorporeus*, seu *animalis & spiritualis*; Item *incorporeus*, seu *spiritualis*, & *animalis est corporeus*, hoc nimirum sensu, is qui corporeus est (nempe Petrus) idem ille incorporeus est, animalis, vel spiritualis, respectu nimirum animæ suæ rationalis; & vice versa, is qui incorporeus est respectu animæ suæ rationalis, (nempe ille idem Petrus) is etiam corporeus est respectu corporis sui. Sic etiam dicitur *Petrus edit, bibit, dormit*, respectu corporis quo constat, & *Petrus vult, intelligit, cogitat, disputat*, respectu animæ rationalis qua præditus est. Denique, *loquitur, scribit, pingit, x̄d̄ap̄iç̄u*, respectu vtriusque, tum corporis tum animæ, quia actiones sunt quæ non peraguntur nisi ab anima & corpore simul iunctis in eadem persona.

XX XVI. Ad eundem planè modum de Christo, qui est persona quædam constans ex duabus naturis, diuina & humana, iunctis, non dicitur quidem *Deitas est humanitas*, vel *humanitas est Deitas*, sunt enim hæc abstracta, sed de eo dici potest, *Deus est homo*, & *homo est Deus*, hoc nimirum sensu, idem ille qui Deus est, est etiam homo, & vice versa, idem ille qui homo est, est etiam Deus. Atque his æquipollent illæ scripturæ phrasæ, *Ab̄ys factus est caro*, & *Deus manifestatus est in carne*, & *qui est ex Patribus secundum carnem Christus*, *Deus est supra omnia benedictus* Rom. 9. 5. Pariter de eodẽ Christo Scriptura dicit, conceptus, natus, mortuus, sepultus est; Item, est Filius Dei *μωυογ̄εν̄s*, viuificat mortuos, corda & mentes hominum nouit, edit miracula, quæ omnia Dei sunt propria, denique, *est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio nostra*, quæ vtrique ipsius naturæ, vti est dictum, communia sunt. Ex quibus earum vnio, in vna eademque persona, certissimè & euidentissimè colligitur, vti causa ab effectu suo demonstratur demonstratione τ̄δ̄ε. Atque hæc de priore vnionis hypostaticæ effectu, nempe *ιδιωματ̄ων κοινω̄ν̄s*.

XX XVII. Alterum vnionis illius effectum, seu consequens, est munus Christi Mediatorium, quod nonnisi *θεωτ̄ο̄s ποῑων̄s* potuit imponi, nec ab alio peragi, vti Theobus de Christo Mediatore ostensum est. Neque alia de causa factus est *ὁ λόγος θεο̄ς ὑπακούων* quàm vt munere illo apud Deum fungeretur; si enim homo non peccasset, Mediatore & Redemptore opus non habuisset, proptereaque missus ad eum non fuisset. Vnde est quod *semen mulieris benedictum* non est, nisi post hominis peccatum, promissum. Talem etiam personam tale munus decebat, non aliam. Est itaque vnionis illius dualitum in Christo naturarum effectum atque consequens sapientiæ & iustitiæ Dei ma-

G



ximè consentaneum.

XXXVIII. Vltimum eius in Christo effectum atque consequens, sunt dotes illæ eximix, quæ in Christum hominem, ad muneris ipsius executionem, plenissimâ mensurâ sunt collatæ, & quidem tum animi, tum corporis, tum vtriusque. Atque corporis quidem post resurrectionem, est beata ac gloriosa immortalitas, pulchritudo, splendor & maiestas summa supra quàm animo capere possumus. Animi autem, vis intelligendi, sapientia, scientia, atque cognitio respectu nostri penè infinita, prorsusque Angelis ipsis stupenda atque admiranda, non tamen planè & prorsus infinita, Deique ipsius scientiæ & cognitioni æqualis, finitum enim infiniti capax esse non potest. Vtriusque autem, tum animi tum corporis simul, est potentia, vis, & efficacia summa, hoc est, supra homines & Angelos quantam maximam capere potest creatura, at non tamen omnipotentia diuinæ prorsus æqualis, propter eandem rationem, finitum nempe in finiti capax non est. Simul enim esset finitus & infinitus eiusdem respectu, nempe humanæ naturæ, quod implicat contradictionem.

XXIX. Potestas, autoritas, imperium, Dominium æternum & infinitum Christo quidem competit, at hoc non est donum seu χάρισμα creatum, humanæ eius naturæ infusum atque inherens, proprièque illi conueniens, sed est attributum diuinum, seu proprietas Deo conueniens, quæ personæ Christi competit quia illa persona Deus est. At non illi competit quâ homo est, sed quâ Deus.

XL. Dotes illæ eximix personam eiusmodi *δεῦρ ἵστατον* decebant quidem, suntque eius veluti confectarium quoddam, at non tamen simul vnâ cum persona illa, eodemque momento cum ea, existerunt, sed prout decebat Dei sapientiam, quæ omnia ordine & conuenienter in numero, pondere, mensura, facit, dispensat, atque moderatur. Non enim in primo conceptionis Christi momento effusæ sunt in eum omnes ille, tum animi tum corporis, admirabiles planè dotes, neque tum earum omnium capax fuit, sed ordine & tempore; *creuit*, nempe, & *profecit sapientiâ, staturâ, & gratiâ Christus, tum apud Deum tum apud homines*, Luc. 2. 3. Vnde planum est eum (quâ homo fuit) non ea omnia (vti nonnulli volunt) ab ipso conceptionis primo momento sciuisse & potuisse, quæ postea, vbi adoleuit, & sciuit & potuit. Certum est enim eum cum nasceretur corpore fuisse minore quoad molem, & infirmiore viribus, quàm fuit cum vir factus est. Et, si *δεῦρ ἵστατον* *profecit sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines*, minor omnino fuit humana eius sapientia & gratia, cum natus est, quàm cum adoleuit.

XLI. Nam quod excipiunt, profectum illum fuisse tantum *δοξασιν*, respectu hominum quibus augeri videbatur atque crescere Christus sapientiâ & cognitione, cum reapse tamen intus in eo non augeretur, aut cresceret eius scientia, cognitio atque sapientia. Futile est, multisque modis refellitur. Nam primò, dicitur isthic Christus *creuisse*, seu *profecisse sapientiâ*, non modò *apud homines*, verùm etiam *apud Deum*. Esto ergo, potuerint homines falli in sua illa, de Christi profectu, opinione, an Deus etiam falli potuit? 2. An etiam *atate seu statura, luxiâ* profecit duntaxat *δοξασιν*? Quod si reapse profecisse corporis staturâ negare non potest nisi qui vult totum Euangelium euertere, quæ causa est cur non similiter dicatur à Luca *profecisse reapse sapientiâ & gratiâ*, cum ista simul in eodem orationis ambitu habeantur?

XLII. Nam quod obijciunt indignum esse Christo, si dicatur aliquid vnquam ignorasse, falluntur. Est quidem ignorantia quædam culpabilis, quæque in vitio ponitur, sed est etiam ignorantia aliqua quæ non datur vitio. Ignorare ea quæ tui sunt muneris, quæque scire debes, & cum ea teneris scire, vitiosum est atque culpabile, at ea ignorare quæ tui non sunt muneris, quæ non teneris scire, aut cum non teneris ea

scire, id verò non est in vitio positum; alioqui nemo non esset culpabilis, quia nemo est qui non ignoret multa quæ alius scit, sed quæ ipse non teneretur scire. Rusticus non culpatur si ea nescit quæ Philosophus, aut Mathematicus, vel Iurisperitus scit. Christus cum infans fuit, non tenebatur ea scire (quæ homo) quæ postea scivit cum adoleuit: sicuti nec tenebatur ea tum facere quæ postea fecit, cum vir factus est. Itaque non potuit propterea culpari, eque fuit ea ignorantia illo indigna.

XLIII. Sed & ipsimet tribuunt Christo scientiam illam quam *experimentalem* vocant, secundum quam multa didicit experientia & usu rerum quæ antea ignorabat. Quomodo igitur fatentur ipsi, & agnoscunt, aliquam in Christo ignorantiam eo non indignam, quidni pariter dicamus non indignum esse Christo, si ea nesciuit puer & infans quæ scire & nosse viri est tantum adulti. Recurrunt hic ad scientiam quam Beatorum vocant, & visionem ipsius essentia Dei, quam Christo ab ipsa conceptione tribuunt, quamque crescere vel augeri negant. Ad hoc est primò *ἐκ βαπτίσματος αὐτοῦ ἡ μὴ ἐκ γεννητοῦ* Coloss. 2. 12. Quis enim illis narravit illam essentia ipsius diuinæ visionem, in eaque positam esse Beatorum scientiam? 2. Illud est confundere quæ Deus voluit esse distincta ac diuisa, statum nempe quem viatorum vocant, hoc est, fidelium in hac vita, cum statu comprehensorum, seu Beatorum in vita futura, qui duo status simul in eodem subiecto consistere posse non videntur. Denique, dato, non concesso, & Christum ab ipsa conceptione habuisse scientiam illam, & eam augeri ac crescere non posse, habuit Christus aliam scientiam quæ fuit ab infusione Spiritus, quæque *Gratia* dicitur, quæ sua habet incrementa pro Dei voluntate ac beneplacito, de qua & de experimentali, accipiendum illud Lucæ, quod Christus *proficiebat sapientiâ & gratiâ coram Deo & hominibus*.

XLIV. Denique quod Deus dicitur (Ioann. 3. 34.) *non dedisse illi Spiritum in mensurâ*, nec probat infinitam planè fuisse Christi hominis (seu quæ homo est) scientiam, potentiam, aliaque dona, nec cognitionem eius nulla accepisse incrementa. Istud enim non est absolute dictum, sed comparatè ad nos & ad quaslibet creaturas. Deinde, de Christo dictum illud est non qualis fuit ab ipso conceptionis momento, sed de eo iam adulto, & munere suo fungente: neque de eo dictum est respectu momenti illius quo Ioannes Baptista hoc dicebat, sed in genere & indefinitè, respectu totius eius æui, ut ita dicam, seu de Christo considerato in tota suæ existentie, quæ homo est, latitudine atque extensione.

XLV. Postremò, dotes corporis non propriè cœperunt locum in Christo habere nisi post eius resurrectionem. Quid itaque necesse est scientiâ atque cognitionem, quantumcumque habuit, ei statim ab ipso conceptionis momento tribuere? Quidni & rei ipsius naturæ (humanæ nempe, naturæ nostræ simili per omnia excepto peccato) & sapientiæ Dei (quæ res omnes, & præcipue humanas, ordine, per gradus & momenta, solet perficere) hoc damus ut non minus Christi animam quam eius corpus paulatim perfecit, consummaueritque per convenientes naturæ gradus & momenta, ut sic hac etiam in parte *nobis fuerit per omnia similis excepto peccato*?

XLVI. Sic Christi *θεανθρωπίνου* Mediatoris necessitas, duarumque eius naturarum, diuinæ & humanæ, in vna eademque persona diuina, indiuisa unio, per τὸ λόγῳ incarnationem, facta in tempore, in temporum plenitudine, hætenus tribus hisce postremis Disputationibus, aduersus varios, qui eam varijs temporibus & locis impugnarunt, hereticos, ex Scriptura demonstrata est pro virili nostra, ad confirmationem fidei nostræ in vnum trinum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Cui soli verò Deo sit honos laus & gloria in omnia sæcula. AMEN.

FINIS.

C 2



Vigilius contra Eutychem, Lib. 2.

Sabellij & Arrii, Manichaei & Photini, Nestorii & Eutychemis sententiarum dogmata conferamus, quibus ita eos sibi inuicem existisse contrarios inuenimus, ut, quod maxime mirum est, eorum error veritati testimonium dicat, & inconsona perfidorum sententia in vnum recta fidei modulum concinant, trophaeumque nostrae victoriae cassa eorum certamina gignant, Sabellij enim perfidia Arrii damnat errorem, rursus Arriani dogmatis error Sabellij impietatem excludit. Siquidem Sabellius vnus natura probabili quidem confessione deceptus, Trinitatis vnā putauit esse personam, ut ex hoc quod triū vnā natura est, vnā intelligeretur esse persona. Contra, Arrius tres substantias, atque distinctas (sicuti verē sunt) Personas accipiens, tres eorum dissimiles credidit esse naturas, & quod ad distinctionem pertinet, hoc iste ad disparilitatem earundem retulit Personarum. Malum ergo tuum, o Arri, de illius corrige malo, ut bonum quod vterque nobiscum tenetis, commune sit vobis. Nam bonum est quod, tu Arri, tres dicis esse Personas, sed malum est quod eas & gradibus & naturis longius separas. Item, tu Sabellij, bonum est quod vnā dicis esse naturā sed malum est quod vnus natura veritas vnā cogit fateri Personam. Adfero disceptationē vestrae compendium, imo non ego, sed Christus, qui litium vestrarum controuersias, ut pote aequissimus cognitor, vnā verbi sententiā censuit dirimendas, dicens, Ego & Pater vnum sumus. Dicendo igitur, Ego & Pater, discernit quod Sabellius malē confudit; addendo autem, Vnum sumus, vnuit quod Arrius malē discernit, ut Vnum ad unitatem Naturae, Sumus ad distinctionem proficiat Personarum.

Item, Manichaei dum tantarum virtutum miracula respicit quae Dei Filius operatus est, non vult eum hominem confiteri. Photinus dum in eo naturam nostri corporis attendit, Deum non iudicat. Ille Deitatis praecōnia, iste humanitatis allegat. Illum miracula auocant, istum passiones retardant. Ille Deitate fallitur, iste humanitate offenditur. Ille dicit, Deus est, iste dicit, Homo est. Grande miraculum, ut expugnatione sui veritas confirmetur, ut verum vterque dicat, dum vterque mentitur. Audi ergo, Manichae, quod Deus sit, verum dicis, quod & homo non sit, falleris.

Audi Photine, verē homo est, ut adseris, (licet non sicut asseris) sed & idem Deus est, quod impie refugis. Cū igitur ambo vobis contrarij sitis, ambo nobiscum fatemini: longē separati estis, in medio est via quam reliquistis; vnus hinc, alius inde, huc ad nos venite, & vos inuicem conuenite; transeat vnus in alterius sententiam, ita ut non reliquat suam. Sit vobis commune quod priuatum habetis. Fateatur ille hominem, confitere tu Deum, & pro veritate à proprio tandem errore discedite.

Veniamus nunc & ad Nestorium atque Eutychem. Certum est Dominum Iesum Christum, secundum Catholicam fidem, & praecōnia Scripturarum, duas habere natiuitates, vnā de Patre sine tempore, alterā de matre sine semine, & harum duarum naturarum (lege, natiuitatum) vtrāque gerens naturam, Dei scilicet, quā de Patre natus est, & hominis, quā de matre est progenitus, vnus idemque, Deus & homo est Christus. Gemina enim natiuitas geminam vni Christo dedit naturam, dum qui Deus est de Patre, idem & homo est de matre. Has itaque naturas, quas ex vtroque habet parente, Apostolus vocat Formas, dicens de ipso, Qui cū in Forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinaniuit, Formam serui accipiens. Nunc videamus quo fuerint Nestorius & Eutyches errore decepti.

Nestorius duas inducendo naturas, duas putauit esse Personas, & ob hoc arbitratus est sacrilego dogmate duos Christos inducere. Eutyches respiciens vnā Personam, vnā censuit esse Naturam, & ob hoc humanam ausus est denegare. Et quia est in Christo & Natura,

20
eius proprietates, & Persona unio (hoc est Unitas,) Nestorius proprietatem attendendo natura-
rum, à Persona excidit unionem (hoc est, Unitatem) & duo putavit Christos, unum pas-
sibilem, alterum impassibilem esse. Et Eutyches unam intuendo Personam, à naturarum
proprietate descendit, & ipsam Divinitatem adferuit passivam.

FINIS.

THESES THEOLOGICÆ
DE MVNERE ET PASSIONIBVS
CHRISTI SATISFACTORIIS.

Præside, D. JOSVE PLACEO.

Respondente PAVLO INFANTIO, Salmurienfi.

THESIS PRIMA.



T Genus humanum in gratiam reduceretur cum Deo tribus personis
opus fuit, una quæ Dei, hoc est, primi auctoris rerum omnium, supre-
mi Magistratus totius Mundi, & parentis Ecclesiæ partes tueretur:
Altera, quæ inter Deum & homines Mediatorem ageret: Tertia, quæ
agentis apud Deum pro nobis in cælo Mediatoris vice fungeretur,
apud nos in terris, docendo, ducendo, sanctificando, consolando, tuen-
do, quodque Mediator impetrasset re ipsa conferendo.

I I. Ut igitur secuti generis humani gloriam Deus sibi soli (præter quem non est
servator, & qui gloriam suam alteri non dat) integram conservaret, cum decuit in tri-
bus illis personis sese hominibus distinctè patefacere: quarum secundam, ut apud pri-
mam & homines mediatoris partes obiret, cum ad id muneris vocari a prima, tum
vivæ & operis oportuit: Nam, neque absque nutu supremi Magistratus tantum munus
publicum suscipi debuit, & ad illius functiones duas simul naturas, divinam scilicet,
& humanam concurrere necesse fuit.

I I I. Mediatorem enim, (cuius opera pax æterna inter Deum & homines con-
cilianda, fœdusque nunquam violandum, faciendum erat,) tum apud Deum pro ho-
minibus, tum apud homines pro Deo agere conveniebat.

I V. Apud Deum quidem, ut eius iram placaret, gratiam conciliaret, dona ab eo
impetraret. Id quod a Mediatore, tanquam vade nostro & sacerdote, peragi debuit
partim satisfactione & oblatione victimæ, partim intercessione, utramque comen-
dantibus absolutissima obedientia, summaque personæ dignitate & gratia; quare opus
fuit natura humana quæ pateretur, & divina quæ passionibus valorem infinitum ad-
deret; sanguine humano & spiritu æterno; imbecillitate carnis ut moreretur vas no-
strum tanquam victima, & virtute divinitatis ut surgeret ex sepulchro, inque sanctum san-
ctorum ingrederetur ut sacerdos, qui illic pro nobis ea intercessione defungeretur,
quæ divinam simul & humanam naturam deceret.

V. Apud nos verò, primum, ut conditiones fœderis doceret & persuaderet, tan-

C 3

quam propheta; deinde ut nos in fidem susceptos, tanquam rex noster, regeret, protegeret, liberaret, iudicaret. Quam ad rem opus fuit ut doceret in terris, & ex coelo: extrinsecus, & intrinsecus; ore humano & spiritu diuino: Ut in confirmationem doctrinae miracula designaret humana voce & manu, eademque diuinâ sua vi daret effecta: Ut denique regeret externo simul & interno regimine, atque adeo inuocantium preces audiret, necessitates cognosceret, corda scrutaretur, hostes destrueret, mortuos suscitaret, gratiam & gloriam conferret &c. ad quæ omnia cum sola natura humana sufficere non possit, fatendum est Dominum Iesum secundum utramque naturam suam, non secundum humanam solam, mediatorem esse.

V I. Enimvero, si vnus naturæ humanæ *ἀνθρώπου* tantum munus confici potuisset, neque mediatorem nostrum Deum esse, neque nos in eum credere, cumve inuocare & adorare oportuisset.

V I I. Huic veritati non repugnat, quod Apostolus I. Tim. 2. 5. mediatorem Dei & hominum, hominem, non Deum appellat, probat enim Deum velle omnes homines seruari quatuor argumentis, quia nimirum, 1. omnium vnus est Deus. 2. omnium vnus est mediator. 3. mediator est proximus omnium hominum, cum ipse homo sit. 4. mediator dedit seipsum *ἀντὶ πάντων* pro omnibus: si Deum mediatorem dixisset nullum aliud innuisset ea voce argumentum, quam quod in ipso vnus Dei nomine iam expresserat.

V I I I. Porro, cum huius muneris functiones partim in patiendo, partim in agendo sitæ sint, de passionibus Christi duo potissimum quærentur. quid sit passus, & quem in finem; posterius, quoniam & prioris causam continet, & maioris est momenti, & solet ab hæreticis multò accuratius tractari, & videtur superioribus disputationibus jam inchoatum, his Thesisibus ita persequi constituimus ut & prius illud, & si qua alia de eodem argumento non inutilis quæstio moueri solet, *ὅς ἐστιν ὁ παρὸν* perstringamus.

I X. Id ergo nunc quæritur, *An loco nostro Christus, ut pro peccatis nostris diuina iustitia satisfaceret, passus sit, necne?* Necessarium quidem ad salutem nostram fuisse ut pro nobis eo fine pateretur disputatio de necessitate satisfactionis liquidum fecit. Quod vero illius disputationis est consequens, *Eum reuera pro nobis satisfecisse*, vel ex eo constare potest, quod eam mortem est passus, in qua nihil ad plenam satisfactionem iure queat desiderari.

X. Quid enim possit desiderari, nisi eum, aut non tantam luisse poenam quantum eramus commeriti, aut non eandem, aut non eodem loco & tempore, aut id non fuisse iustitiæ, legibus, misericordiæ Dei, & promissionibus Euangelicis consentaneum. Atqui horum nihil iure requiri potest.

X I. Nam, ut à *magnitudine* incipiam, eam quatenus ab ipsa specie & essentia poenæ differt, omnes solent vel *gradu*, vel *numero*, vel *tempore*, metiri: *gradu* quidem, neque infinita poena infligi nobis, qui sumus finiti, potuit aut debuit; Neque video, cur tantam pati non potuerit Christus quantum quiuisset alius homo.

X I I. *Numero* vero, quamvis Christus vnus sit, nos pro quibus passus est prope innumeri, tamen potuit vnus pro omnibus, vna eius mors pro omnium mortibus dari *ἀντὶ πάντων*, vnus enim pluri aestimari debet quam omnes simul; Immo infinities pluri. Nam vnum si multiplices habebis tandem numerum omnium hominum: omnium vero hominum collectio quantumcunque multiplicetur, nunquam Christi potentiam, auctoritatem, dignitatem, sapientiam, sanctitatem, deitatem æquabit. Hic autem non pecunia soluenda fuit, quæ, quoniam ex sua materia & forma absolute aestima-

cur, à quocunque possideatur aut solvatur valoris est eiusdem; sed persona innocens pro personis nocentibus danda fuit ad mortem. Itaque personas æstimari necesse fuit.

X I I I. *Tempore* infinitam esse pœnam nostram oportebat, vel quia succubuissemus illius gravitati, vel quia semper peccassemus, (cum perpetuo autem malo morali iungi debet perpetuum malum Physicum,) vel denique quia peccata commissa aduersus Majestatem infinitam merentur pœnam, saltem duratione, infinitam. Verùm Christus, neque succumbere, neque peccare potuit, pati autem perpetuò, neque potuit cum esset Deus, neque nobis vtile fuisset, neque ad satisfactionem erat necessarium, cum enim ex personæ, quæ loco nostro dabatur, dignitare pœnæ quam luit æstimatio penderet, ea que persona esset dignitatis actu infinitæ, perinde mors illius æstimari debuit, ac si fuisset actu infinita. Mors autem infinita actu finitam mortem, quantumvis multiplicetur, aut in æternum prorogetur, non æquat modò, sed superat etiam absque proportionem.

X I V. *Essentiam*, seu *speciem* pœnæ dignitas patientis compensare non potest. Auger enim illius duraxat pœnæ, quam patitur, quantitatem. Aucta autem in immensum vnus speciei quantitas ipsi non confert alterius speciei naturam. Auge ignem infinitè, non obtinebit propterea cœli aut hominis perfectionem. Non igitur qualibet pœnâ, sed eâ sola, quam eramus commeriti, quamque lex comminabatur, satisfieri pro nobis potuit.

X V. *Eapœna sita non fuit in malo morali.* Primùm enim pœnam à peccato, supplicium à crimine differre oportuit. Deinde, malum morale est contrà, pœna secundum legem. Tertiò, malo morali Deus offenditur, & iustitia violatur: An igitur, vt Deo & iustitiæ satisfiat, offendendus est Deus, violanda iustitia? Tùm Deus est author pœnæ, qui non potest esse author peccati. Adhæc, peccatum est voluntarium, pœna non item. Denique, si pœna esset malum morale, aut id malum morale nullam pœnam mereretur, nec proinde peccatum esset; aut si mereretur, pœnæ solutione debitum augetur. Ex quo efficitur, vt potuerit Christus defungi pœna nobis debita, absque vilo suo peccato, vel malo morali.

X V I. Nam quæ duo absque peccato esse non possunt, *morsus conscientia*, & *desperatio*, ea non insunt pœnæ quatenus à iudice infligitur, sed ex vitio & imbecillitate subiecti, in quo recipitur, proficiuntur; Ille quidem à mala conscientia, hæc verò ab imbecillitate; quod enim in corpore est succumbere oneri, id in anima est desperare. Nos igitur pœnam illam recepissimus modo congruente prauitati cōscientiæ nostræ, necnon imbecillitati. Christus eam recepit quo modo eam recipi decuit ab eo qui non nouerat peccatum, qui non ob sua, sed ob aliena, peccata pœnas luebat, qui denique succubiturus non esset. Itaque bonam conscientiam, fidem, spem, omnesque alias virtutes, in medijs illis pœnis retinuit constantissimè, absque vilo vel minimo defectu morali.

X V I I. *Sed posita est in malo Physico* non quolibet, sed eo quod peccatum merebatur, & lex comminabatur, *morte* scilicet & *maledictione*. Id autem duo complectitur, ademptionem omnis boni iucundi, etiam vitæ huius; & immissionem grauissimi mali iniucundi, non in corpus modò, sed præcipuè in animam, (id enim hominis quod præcipuè peccat, præcipuè puniendum est) vtramque à Dei iudicis ira profectam.

X V I I I. Vtramque Christus passus est pro nobis. *Iucunda* omnia ipsi sunt ablata, honor, fama, vestes, quæ, ipso è cruce spectante, inter milites diuisæ sunt: sitienti non aqua, non vinum, sed acetum cum felle oblatum; ab omnibus desertus, omnium ludibrijs expositus, nudus è cruce pendens, animam exhalauit.

XIX. *Iniusunda* immissa amarissima: præter summam ignominiam, legalemque maledictionem, acutissimi dolores inflicti sanctissimo corpori spinis dilacerato, verberibus caeso, clavis transfixo, &c. ipsi verò animæ immediate multò acutiores. Quo enim loco & tempore nihil ab hominibus corpus patiebatur, anima horribili pauore ac tristitia corripiebatur. Immanissimum profectò fuisse malum illud oportet ad cuius incursum ipsa fortitudo & constantia cepit *ἐν ταυβείᾳ, ἀνθυμνεῖν, πρὸς τοὺς εἰσὶν εἰς δαπέτυ*, preces & supplicationes, illi qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore valido & lachrymis offerre, tanto cum angore conflictari ut & ipsi apparere Angelum confortantem oportuerit, & sudor è corpore manavit quasi grumi sanguinis descendentes in terram: Id quod tantam agitationem spirituum atque sanguinis in toto corpore arguit, quantæ in alijs historijs exemplum nullum occurrit. Huc pertinet exclamatio Christi in cruce desertum se a patre querentis, quasi illa derelictione vehementius afficeretur quàm ipsis doloribus corporis.

XX. Ad *locum* & *tempus* quod attinet, si pœnam augent, reuocantur ad pœnæ quantitatem, quam dignitate personæ compenlatam fuisse diximus. Sin minus, ab arbitrio iudicis pendent.

XXI. *Iniustum* autem *minimè* fuit iustum Christum pro nobis iniustus pœniri: Nulla enim à supremo iudice facta est iniuria, neque ipsi Christo, neque ijs quorum erat Christus, neque reipub. totius mundi, neque legibus. Non *ipsi Christi*: Nam id supplicium, *quarum* quantum esset, *ultrò* adiit, nec eo periit. Non *ijs quorum intererat*, nam & Deus Pater id voluit & iussit, & homines fideles eo nomine maximas ipsi gratias agunt. Non *reip. mundi*: Nam, nec ciue utili priuata est. (vixit enim in æternum Christus tanto supplicio defunctus.) Nec conseruati in eius perniciem ciues noxij: hi enim ex malis boni euadunt, Nec aucta peccandi licentia, sed sublata, inexorabilis iustitiæ reuelatione.

XXII. Nec denique *legi diuinæ*, cuius veritati cautum est triplici Christi cum peccatoribus coniunctione: vna naturali, cuius vi membrum est generis humani: altera supernaturali multò arctiore, qua cum fidelibus in vnum corpus, vnā quā personam coaluit. Quo factum est, ut, & ipsi fidelium peccata imputari possent, & rursus obedientia ad mortem vsque, imputari fidelibus, præsertim accedente tertia coniunctione forensi posita in consensione voluntatum, qua Christus *ultrò* personam nostram in se suscepit, ut debita nostra exsolueret.

XXIII. Sed neque sic vlla facta est iniuria *iuri diuino*. Posse enim legis transgressionem dimittere impunitas absque satisfactione ius non est, sed iniustitia potius pugnans cum officio iudicis, quam Deus sibi esse abominationi testatur. Prou. 17. 15. Immo ne *miseriordia* quidem: Non enim quælibet misericordia est virtus, sed caduntaxat quæ cæteris Dei virtutibus, in primis iustitiæ & sapientiæ, consentanea est. Dent. 13. 8. & 19. 15. 21.

XXIV. Neque *gratuita remissioni peccatorum*: Etenim à nobis Deus, neque satisfactionem exegit, neque vadem qui satisfaceret, neque, ut vadem & satisfactionem procuraret, inductus est meritis aut precibus nostris, & de suo, non de nostro, satisfecit iustitiæ, tradito in eum finem filio suo, qui idem Deus est, & condonat peccata.

XXV. Cæterum *negata satisfactione laborat veritas Dei*. Nam, aut falsas esse oportet comminationes legales, aut tacitam includere conditionem pœnitentiæ: Prius iniuriosum est Deo. Posterius si dicatur debuit legis violator quem pœnituit peccati, non puniri absque misericordia, sed iustificari ex lege. Heb. 10. 28.

XXVI. *Laborat etiam iustitia Dei*, qui naturæ suæ iudex est mundi; ut qui reum convictum,

convictum, Impunitio peccato, non iustificet modò, sed præmis etiam amplissimis donet.

XXVII. Eâ vero *posita* mirum in modum *illustratur misericordia Dei*, quæ fuit tanta, ut non modò omnem affectum salutis hominum contrarium, præter zelum iustitiæ qui iudicem decet, deponeret, sed etiam proprio filio non parceret, ut hominibus parceret.

XXVIII. Etiam *iustitia*, quæ hac ratione ab impiorum hominum, & diabolorum calumnijs vindicatur, Evangelij promissiones firmat, ne Dei misericordia creaturæ abutantur cauet, eosque, à quibus agnoscitur, iniecta horribili formidine à peccando absterret.

XXIX. Nec non *sapientia*, quæ mirabilem excogitavit rationem, natum ex irrevocabilis maledictionis & benedictionis conflictu nodum, alioqui insolubilem, ita soluendi, ut manente illibata veritate denunciata maledictionis cui omnes eramus obnoxij, benedictio credentibus obveniret.

XXX. Multò etiam, & facilius, & certius *sedatur æstus conscientia* sub peccatorum mole gementis, ac intuitu maledictionis legis, Deique, iustitiæ perterrefactæ, cum in Christi morte pœnas agnoscit quas erat commerita. Nam dici nò potest quantopere commoveatur admiratione magnitudinis, & miseriæ in quam inciderat, & pretij quo redempta est, & Charitatis Dei ac Christi. Inde fiducia accedendi ad Deum, & Dei, Christi, proximi que amor, & peccati odium, & vitæ in melius mutandæ argumenta efficacissima, & diuinitatis religionis Christianæ documeta illustria nascuntur.

XXXI. Ea ratione impletum fuit quod olim Deus insigni typo adumbraverat. Ut enim tam in Arcam, eosque qui in ea continebantur, quàm in eos qui perierunt, diluvium immisum est: Sic, non minus in Christum, in quo sunt & manent fideles, quàm in eos qui pereunt mors & maledictio impluit. Sed ea morte, aded non perlit, ut in excelsum montem cœlorum ascenderit, adeptus redemptionem æternam.

XXXII. Etenim, si nihil nisi ab hominibus Christus passus est, si in eius passionibus nihil nisi doctrinæ confirmatio, & exemplum quæsitum fuit, cum multi antè & post eum Martyres exquisitissimos cruciatus, acerbissimamque mortem passi sunt, quorum sanguini plurimùm abest ut scriptura salutem nostram adscribat, qui sit ut Christi morti salus nostra feratur accepta? Aut cur potius morti, quæ illi cum alijs multis Martyribus communis fuit, quàm resurrectioni, quæ eius fuit propria?

XXXIII. Cur etiam sine opera viri gigni, sine peccato vivere Christum oportuit, ut duplici jure, dignitatis personæ, & fœderis legalis deberetur ipsi vita æterna? Iuasset enim magis fidem nostram si in homine, eodem quo nos modo genito, ac peccatore, Deus documentum dedisset misericordiæ suæ, necnon resurrectionis & gloriæ, quæ peccatores pœnitentes & credentes manet post mortem.

XXXIV. Intelligi quoque non potest quid ad exemplum & confirmationem doctrinæ valeant pavor ille Christi, tristitia summa, agon, sudor sanguineus, clamor validus, lachrymæ, externa Angeli consolatio, silentium dum accusaretur, querelæ de patris desertione &c. Quæ, neque nobis proponuntur imitanda, neque aliò spectare possunt, quàm ut Christum intelligeremus, & se gessisse, & fuisse tractatum ut reum: nihil que, ad iustâ satisfactionem, posse in mali quod passus est, vel genere, vel sensu desiderari. Ita enim sese continuit Diuinitas ipsius, ut neq; mali sensum, aut tolleretur, aut heberetur, aut interna consolatione, vel obrueretur, vel mitigaret, stantibus interim inunctis fide & sanctitate, in quarum priuatione peccatum, non peccati pœna, consistit.

XXXV. Neque enim insequentis gloriæ, & (ut ita loquar) premij, spes perpe-

D

pœnæ obfuit haud certè magis quàm, aut obedientiæ patri præstitæ, aut Charitati nobis ostensæ laudem minuit. Idcirco enim se Christus illa gloria dignum ostendit quod ad patiendum, neque sui ipsius amore inductus fuit, neque vilitatem suam, instar mercenarij, spectauit, sed id habuit cordi, vt, & patri obediret, & nos redimeret: Eo magis autem obediuit patri quòd nos magis amauit. Gloriam potè per passiones adiuit dignitati suæ congruentem, quippe qui iam antequam pateretur nomen habebat quod est supra omne nomen: Iam enim, & Dei filius, & Deus, & in forma Dei, & Deo æqualis erat.

XXXVI. Ipse verò pater filium pati voluit inductus simul amore hominum, & zelo iustitiæ, atque adeò misericordia iustitiæ non repugnante sed amicissima, que satisfactionem qua placaretur iustitia, non excluderet, sed procuraret. Sic enim nos voluit misericordia quidem seruari, iustitia vero puniri, vt nullo modo contrariæ fuerint; Nam, neque seruari nos misericordia voluit nisi pro nobis satisfaceret iustitiæ, neque puniri iustitia, si pro nobis sibi satisfaceret.

XXXVII. Preterea quorsum scriptum est obnixè petijisse a patre Christum, vt si fieri posset transiret ab ipso calix, nisi vt intelligamus possibile non fuisse cui hominum peccata essent imposita, hunc pro hominibus mortem non degustare;

XXXVIII. Nam quod dici solet de suo quemque iure quantum vult posse cedere, vt de eo iure verum esse possit quod ad voluptatem vel vilitatem spectat, de isto certè verum non est quod ad honestatem & officium pertinet. Legis enim legislatorisque authoritatem violat, vt is qui legis mandata, cum eius sit exequi, non exequitur: Sic is qui promissiones & comminationes legis, cum ad eum id spectet, non mandat executioni. Tàm autem proculdubio Dei legislatoris, quàm Dei per quem iurauit, apud ipsum Deum sacrosancta est atque inuiolabilis authoritas. Nequit enim fieri, quin sui rationem Deus summam habeat, quem supra omnia amare, ad quem omnia alia referre, ac cuius gloriæ esse zelotypum, ipsum in primis decet.

XXXIX. Quapropter peccatorem peccatorum mediatorem Mosem, cuius neque sacrificijs, neque intercessione reatus, nec verè, nec in perpetuum tollebatur, admittere in conspectum faciei suæ noluit, addita sententia terribili, *non videbit me homo & viuet.* a Ac elogijs misericordiam suam describentibus illud annexuit, & *absolnando non absoluet.* b quod de solis peccatoribus contumacibus accipi nequit; Nam reddi ratio non posset, nec cur cum antecedentibus potius quàm cum sequentibus copuleretur, nec cur inter participia presentis perpetuum agendi tenorem notantia futurum illud interiectum sit accommodatum ad significandam actionem prerereuntem a. Exod. 33. 20. b. Exod. 34. 7.

XXXIX. Itaque in fœdere typico Deus voluit præstandæ per Christum satisfactionis extare typos. In eo quidem contrahendo obscuriores: inibat enim cum peccatoribus & propter peccata, non tamen tanquàm qui iam peccassent, nisi indirectè. Attamen non licuit electis Israëlitis videre Deum nisi prius oblato sacrificio, cuius sanguine populus fuerat aspersus. In conseruando verò clariores: Nam, & Moyses pro populo apud Deum iratum intercessorem egit, & ordinarij erāt ac perpetui *ex vi* fœderis sacerdotes imponentes peccata sua & populi victimis expiatrixibus, quibus, neque doctrina confirmabatur, neque fœdus percutiebatur, neque exemplum, aut officij, aut futuræ conditionis legem obseruantium proponeretur, sed reatus typicus morte ob peccata inflicta auferrebat. Maçtato quidem hirco, hircus, (quasi idem redinius, sistebatur in Dei & populi conspectu, abiturus continuò in ea loca, quæ homines, neque incolunt, neque colunt: Quo futurum significabatur, vt Christus ha-

bitus pro hircu & peccatore, ac morte affectus se vinum ostenderet, mox eò profecturus quò iudæi ire non possent, nempe, (vt passer viuus intinctis in sanguine passeris mactati,) avolaturus in cælum, quò perducta victimâ peccata nostra quæ ei fuerant imposita procul a nobis ablegata sunt nunquàm reditura. Ex quo intelligitur, neque hircum illum, neque passerẽ istum per seipsa, aut sacrificia fuisse, aut peccata expiasse; Sed sacrificiorum appendices fuisse *αἱμάτων* resurrectionis & protectionis Christi in cœlum ad eius satisfactionem adumbrantes.

XL. Fuisse verò præstitam à Christo satisfactionem, non modò ipsa Christi mors clamat præmatura, violenta, cruenta, ad modum supplicij inflicta, lege Dei maledicta, acerbissima; sed scriptura pàssum docet, aperiens mortis Christi, & causas, & relationem ad Deum, & fructus: & causas quidem testatur fuisse peccata omniũ nostrum, a ob quæ fuit traditus, b vulneratus, attritus, quæ bajulauit, c atque in corpore suo super lignum *ἀνέσχευεν* d factus pro nobis peccatum, e & maledictio, f *a* Esa. 53. 6. b Rom. 4. 25. c Esa. 53. 5. 11. d 1. pet. 2. 26. e 2. Cor. 5. 21. f gal. 3. 13.

XLI. Relationem autem ad iudicium deum, non modo ex causis colligendam relinquit, sed inquit etiam, cùm, & mortem, & castigationem, a & pretium, & *λύτρον* b & *ἀντίλογον*, c Christi passionem appellat a Esa. 53. 5. 1. Cor. 6. 20. 1. pet. 1. 19. b Math. 20. 28. Marc. 10. 15. c 1. Tim. 2. 6.

XLII. Fructus verò: nam morti Christi tribuit placationem Dei, a redemptionem nostram, b purgationem peccatorum nostrorum, c deletionem Chirographi nostri, d iustificationem nostram a heb. 2. 17. 1. Ioh. 2. 2. & 4. 10. Rom. 3. 5. b Col. 1. 14. c Heb. 9. 14. d Col. 2. 14.

XLIII. Nec vim duntaxat mortis Christi ad præsentia & futura sæcula extendit, sed ad præterita quoque omnia. Probat enim Apostolus Christum non oblatum iri sæpius ad finem vsque mundi, quia non sit oblatus sæpius ab initio mundi. a Quæ ratio hoc fundamento nititur quòd æquè necessaria fuit Christi passio ad salutem credentium sæculis præteritis quàm futuris. Itaque typi Christi Melchisedeci regium sacerdotium ab utraque parte pariter æternum fuisse docet. a heb. 9. 62.

XLIV. Huc etiam pertinet quod scriptura docet, Christum fecisse pacem nostram per sanguinem crucis a: nos per eum habere pacem cum Deo b: eum nos reconciliasse Deo per crucem perempta inimicitia per eam c: nos per sanguinẽ Christi factos esse propinquos Deo d &c. qui hæc loca & superiora in alienum sensum detorquere cognantur, his non potuit satisfactio Christi vllis verbis satis claris & disertis significari. a Col. 1. 20. c Eph. 2. 16. d Eph. 2. 13.

FINIS.

THESES THEOLOGICÆ
DE DESCENSU CHRISTI AD
INFEROS ET LIMBO PATRUM.

Præfide D. MOSE AMYRALDO,
Respondente ANDRÆA MARTELLO, Montalbanensi.

PARS PRIOR.

THESIS PRIMA.

RES superioribus Thesis explicatas ex instituti nostri ratione sequitur de Christi descensu ad Inferos, & Limbo qui dicitur Patrum disputatio. Cuius tractationem paulo accuratior non tam fortasse rei difficultas in se, quam nonnullorum importuna *μετεωρολογία* & calumniandi libido necessariam effecerunt. Eam igitur sic aggredimur ut omissis veterum & recentiorum ad rem minimè pertinentibus opinionibus, duas tantum examinemus. Vnam Pontificiorum, hac dissertatione: Alteram Ecclesiarum nostrarum, altera quæ priorem proximè sequetur.

I I. Fert Pontificiorum hac in parte opinio, Primò Christi animam ab ipsius corpore in morte separatam reuera descendisse ad ea loca subterranea quæ Inferi solent appellari. Deinde causam descensionis illius fuisse, non perpeffionem pœnarum quibus damnati Spiritus iam addicti sunt; ab eo enim sese vehementer abhorrere profitentur: non complementum passionum quæ illi præstandæ satisfactionis ergo subeundæ fuerant, quibus eum in Cruce plenè defunctum esse non inficiantur: sed partim ut salutem à se humano generi partam annunciarer Patrum animabus inclusis nescio quo loco qui ad marginem Inferorum situs est, illasque secum ex eo educeret in cœlum euehendas; partim ut ijs quos æternæ pœnæ manent & Diabolis ipsis regni sui potentiam & victoriam de peccato reportatam ostentaret.

I I I. Prius autem illud certè, descendisse Christi animam ad loca subterranea, non debuit à Theologis affirmari nisi ex certissimis argumentis, quæ non aliunde suppetere potuerunt quàm vel è Scriptura sacra, vel è Symbolo quod dicitur Apostolorum, vel denique ex necessaria quadam analogia & consensione partium religionis inter se.

I V. Ad Scripturam autem quod attinet, nec phrasis illa totidem verbis, nec quod phrasi sic designari putatur, *Descendit Christus ad Inferos*, usquam in ea occurrit. Nam descendisse quidem dicitur, *αὐτὸς ἦλθὼν ἐκ τῶν νεκρῶν*, Ephes. 4. 9. At id nihil denotat præter quemvis locum occultum & sub terræ superficie reconditum & ab hominum oculis remotum, unde per metaphoram *uterus*, *ἡ μήτηρ* appellatur, Psal. 139. vs. 15. Et fuisse memoratur, *ὅτι τῆς ἀπορίας τῆς γῆς*: At tam sepulcrum in corde terræ esse dici potest quàm Tyr dicitur esse, *ὅτι τῆς ἀπορίας τῆς θαλάσσης*, Ezech. cap. 24. vers. 4. Et docet Apostolus non esse dicendum quis descendit in abyssum, quia id esset

Christum à mortuis reuocare : Rom. 10. 7. At reuocare Christum à mortuis eo loco nihil aliud est quàm negare Christum esse mortuum. Qui autem non negat Christum esse mortuum estne consequens vt non neget pariter Christi animam ad loca subterranea penetrasse? Non potuit Christus aliter mortem oppetere? Et negatur Deus potuisse Christi $\phi\chi\omega$ derelinquere $\iota\varsigma \alpha\delta\upsilon$, Act. 2. 27. At id loci circumstantiæ ad eius resurrectionem pertinere conuincunt. Adus igitur eo loco sepulcrum est, quod est in Scriptura solenne: & $\phi\chi\iota$ vel per synecdochen personam, vel per metonymiam corpus ipsum demortuum denotat, quod non est in eadem Scriptura inusitatum. Exempla sunt Num. 9. 10. atque alibi.

V. Symboli vt nunc extat, verba quidem diserta sunt, at variasse olim exemplaria Pontificij ipsi fatentur. Irenæus enim lib. 1. cap. 2. Origines libris $\pi\epsilon\pi\iota \phi\chi\omega$, Tertullianus contra Praxeam, & de velandis Virginibus, Augustinus lib. de Fide & Symbolo, atque alibi pluries, hanc communem Christianorum Fidei Confessionem explicantes, huius articuli non meminerunt, quem à Symbolo Romanæ Ecclesiæ, & ijs quibus Orientales utebantur, ab fuisse testatur Ruffinus; neque verò pariter à Nicæno exulasse diffidentur, teste Bellarmino, Anselmus & alij. Quæ res vehementem suspicionem inijcit nihil ea clausula contineri quod non comprehendatur reliquis articulis, in quibus profectio animæ Christi ad Inferos nullum vestigium.

V I. Verum in exemplaribus Symboli extiterit & omnibus & semper: non habebit tamen ista locutio significationem nisi vel propriam vel figuratam. Si propriam, quandoquidem vocabulum $\alpha\delta\upsilon$ Græcè, $\chi\alpha\tau\alpha$ Hebraicè, si vnum aut alterum locum excipias in Scriptura sacra, aut sepulcrum perpetuo denotat, aut quemuis statum atque locum hominum de mortuorum quatenus demortui sunt, $\kappa\alpha\tau\epsilon\lambda\theta\epsilon\iota\varsigma \epsilon\iota\varsigma \alpha\delta\upsilon$, nihil aliud erit quàm vel descendere in sepulcrum, vel esse eo loco eoque statu vt sis sub mortis imperio. Vnde enim potius verborum istorum interpretatio petenda est quàm è Scriptura? Et si in Scriptura eorum significatio varia est, cur non potius eam sequemur quæ est ferè perpetua quam quæ semel tantum aut bis occurrit? Quamquam si nobis libèret propositum tenere paulo arctius, possemus fidenter negare vsquam occurrere alio quàm superiore illo significatu.

V I I. Si figuratum intellectum obtinet, vt illi qui se beatissimos & gloriosissimos prædicare volunt, reges se & Deos appellant, & se ad astra venisse, & sublimi ferire sidera vertice, & eiusmodi alia iactant, quidni descendisse Christum ad Inferos dicerent illi qui volunt significare incredibiles angores & horrendam ignominiam in quam incurrit? Nihil enim frequentius est quàm vt quæ nonnisi certo quodam loco contingere solent, ea quamuis ab eo loco seiuncta, loci tamen ipsius nomine nuncupentur. Eiusmodi locutionum figuratarum exempla sunt, Ps. 69. 3. Ps. 116. 3.

V I I I. Tantum abest autem vt analogia fidei postularer istam animæ Christi peregrinationem ad inferos, vt potius cum ea pugnet. Nimirum in Christo consideramus personam & munus. Et personæ quidem duplex fuit status, humilitatis scilicet ac ignominie, & exaltationis atque gloriæ. Ad vtrum igitur statum pertinet ista descensio? Ad priorem? Haudquaquam. Statuitur enim suscepta prædicandi Euangelij, & Patrum liberandorum, & potentiæ ostendendæ gratia. Quæ sanè gloriam potius quàm ignominiam redolent. Ad posteriorem? Haud magis. Quia quæcumque tandem illa fuerit animæ Christi cum virtutis & potestatis ostentatione iactatio, non potuit tamen Christus statum exaltationis ad pisci quandiu corpus vita spoliatum iacuit in sepulcro. Et quænam est illa vel exaltatio, vel exaltationis inchoatio quæ fit apud inferos? Pertinebat igitur status animæ Christi à corpore separata, quem

longe beatissimum fuisse non est dubitandum, ad œconomiam aliquam temporariam, quâ durante contenta foret suauissima quiete in Paradiso, donec recomponeretur cum corpore. Gloriam & infinitam potestatem ut nondum propriè consecuta erat; sic non potuit nisi admodum præposterè venditare.

I X. Munus Christi neque corporis est neque animæ solius, neque verò vnius naturæ tantum; quidquid hæc à nonnullis vitiligitur, sed personæ totius. Cum itaque & annunciare Euangelium, & Patres liberare, & virtutem suam ostendere, ad Christi munus pertineat, qui potuêrunt eius functiones obiri ab anima sola, quæ se iuncto corpore Christus homo non erat? Huc accedit quod prædicatio Euangelij ad Christi prophetiam refertur, qua ante morem defunctus est, liberatio captiuorum ad dignitatem regiam, cuius fastigium non est adeptus nisi per Ascensionem in Cœlum. Ut mirum sit quàm incommode ista temporibus diuidantur, aut potius quantæ ex eo dogmate oriatur in functionibus muneris Christi perturbatio.

X. At litem decidit scriptura satis apertè. Quum enim Christus animum suum exhalaret, cum verbis veluti conceptis atque solennibus in manus Patris tradidisse dicitur eo sensu eaque mente procul dubio quo id ipsum fecere qui hæc verba & ante & post ipsum usurparunt. Est ne igitur credibile aut Dauidem, cum sic locutus est, aut Stephanum cum moreretur de descensu suo ad inferos, cogitasse? Quin poties, quia quid futurum esset de corpore clarum erat, fuit enim ex communi hominum more in terrâ deponendum, Deo commendârunt alteram sui partem eo animo ut eius nonnihil ex tanta mutatione attonitæ ac perturbatæ curam susciperet, vagantemque alioqui sedibus incertis, in eo loco in quo resurrectionem sui corporis expectant, cum reliquis fidelibus collocaret. Istud verò in primis memorabile est quod Christus eodem ipso die quo passus est, latronem in Paradiso promisit secum esse futurum. Estne igitur Paradisus apud inferos? Aut designaturne aliquid aliud in N. T. eo vocabulo præter cœlum? Aut acerrimæ formidines quibus antea actæ vitæ recordatio latronis conscientiam vexabat, quæque illi horrendum inferorum carcerem ob oculos animi constituiebant, (nam illa, *Memento mei cum veneris in regnum tuum*, non prohibent quominus sic de eo sentiamus) potuerunt ne aliter sedari quàm si cœlum illi è vestigio fruendum promitteretur? Aut denique credibile est Christi animam deducta latronis anima in Paradisum statim ex eo excessisse, descendisse ad inferos, atque Patres inde euocatos reuolando confestim in cœlum intulisse, vnde mundi totius spatium tam exiguo tempore quartum emensa, appetente tertio die ad corpus remigraret?

X I. Verùm satius forsitan erit expendere causas ob quas ad inferos descendisse putatur. Eæ duæ esse dicuntur. Prior spectat ad Limbum Patrum: Posterior ad diabolos ipsos in inferis territandos. Et posterior illa quidem ut ad fidelium seu Veteris seu Noui Testamenti salutem nihil conducit, sic verisimile non est eâ Christum esse impulsū ut excursionem ad terræ centrum quieti quæ ipsi in cœlo parata erat, anteferet. Tum quid præposterius fieri potuit quam ut dum Christi corpus iacebat sub imperio mortis, eius anima tantos sibi sumeret spiritus ut vellet in inferis ipsis metum inferre diabolo qui mortis imperium habet? Soletne quisquam tanquam victor victoriæ insignia ad terrorem aut ostentationem circumferre, qui non modo nondum vicit, sed victo propior videri potest? Adde quod vix ac ne vix quidem animo concipitur quid in anima Christi à corpore seiuncta fuerit vsque adeò terribile ut tantam in inferis trepidationē generaret. Denique quid opus erat ut Christus ipse per animam suam diabolos in istum metum conjiceret! Nonne potuerunt aliunde scire

quid gestum esset in cruce Christi, cum nihil in ea truculentè, nihil nefariè patratum fuerit nisi eorum consilio ac molimine? Aut si augendi fuerunt ea de causa dæmonum & in fidelium cruciatus atque formidines, nonne ad eam rem sufficere potuit sensus iræ diuinæ aliquanto intentior? An necesse erit post vltimum iudicium semper adesse inferis Christi animam, cuius præsentia magis ac magis in æternum terreantur & excarnificentur?

XII. Altera causa multo memorabilior est. Itaque videamus, Primò, an aliquis fuerit Limbus recipiendis Patrum animabus destinatus. Deinde, hoc dato, fuisse aliquem Limbum istiusmodi, vtrum necesse fuerit illas animas inde ab ipsa Christi anima extrahi.

XIII. Nolo hîc castigare eorum temerariam curiositatem & audaciam qui tamquam periti quidam Inferorum metatores ausi sunt vastos illos qui circa centrum mundi sunt, terræ hiatus ita in quatuor partes distribuere, vt omnium infima damnatos atque dæmonas, quæ proximè circumfunditur fidelium animas nondum omnibus peccati sordibus purgatas, quæ ordine tertia est infantes è vita ereptos ante baptismum aut circumcisionem, quarta denique quæ longissime à damnatorum sedibus dissita est, Patrum Veteris Testamenti spiritus excipere debuerit. Etsi enim illi meriti sunt vt grauissimè vapularent, quia tamen sunt exiguo numero, reliqui paulo modestiores de situ & ordine horum seu fornicum seu tabulatorum nihil affirmatè dixerunt, solo contemptu sunt ab hac disputatione remouendi.

XIV. Limbum, vbiunque esse fingatur, his argumentis imus subrutum, Primò quod in Scriptura de eo alium silentium. Quod enim in Veteri Testamento dicuntur fideles, ire ad patres suos in pace; Iacob vero in summo suo luctu ait se se descensurum ad filium suum in infernum, Deus autem apud Zachariam dicitur vinctos eduxisse de lacu vbi non est aqua, & si quid est aliud simile, perperam ad Limbum detorquetur. Primum enim geminum est isti Latinorum phrasi, ire ad plures, & ex Hebræo idiotismo mortem designat *περὶ φασιν αὐτῶν*. Secundum mortem denotat itidem. Quod si vexandū esset, omnino anima Iacobi debuit esse pilosa: eius enim filij metuunt cap. 44. Geneleos, ne canos parentis sui in infernum protrudisse ferantur. Non ergo cum sic Iacob loquitur, habet in animo genus mortis filij sui, qui à feris discriptus esse putabatur. Cogitat eius moriè tantum & ait se se pariter cum luctu esse moriturum. Tertium quidni posset, de Inferis ipsis explicari! Nonne ij dicuntur erepti ex orci faucibus qui è præsentis mortis periculo euasere? Quidni ergo ex Inferis educti dicemur omnes quos Christus ab ineuitabili redemit exitio?

XV. Argumentum sumptum ex historia apparitionis Samuelis vsque adeò leue est vt ne commemorari quidem debuerit. Certè vel verus fuit Samuel, vel spectrum ad imaginem Samuelis confictum & comparatum. Si verus Samuel fuit, quomodo eius anima potuit formam externam corporis eius inducere? Aut si id potuit, quidni tam facile fuerit è cælo deducta quàm è Limbo reuocata? Nonne ex vtrouibet sequitur pariter eius quietem fuisse interturbatam? Aut fuitne operosius ob longinquitatem itineris è Limbo sursum euehi, quàm è cælo descendere? Si phantasma fuit, vt verè fuit, aut Limbus merum ipse phantasma phantasmatibus oppletum est, aut nihil hæc historia pertinet ad limbum.

XVI. Apostolus Paulus, capit. 9. Epistolæ ad Hebræos, vers. 9. dicit quidem, *τὸ πρῶτον ἄριστον ἵδον μὴ πρὸ περὶ τὸν θῶρον, ἐν τοῖς πρῶτοις σκηνῶσι ἐχούσης τὰς θύρας*. At id caret omni difficultate. Scilicet quum duo sint sacerdotia, duoque Tabernacula, & duo sanctuaria pariter, vnum typicum, alterum typo adumbratum, sic à Dei sapientià cōparatum

erat, ut quandiu illud staret, hoc non posset obtinere. Typico igitur manente sanctuario, (hoc est *ἕως τῆς ἡμέρας*) certum erat viam ad alteram nondum esse patefactam, neque licere alterum illum sacerdotem viam ad cælum capeffere. Quod igitur Christus id ausus est & reuera præstitit, indubitatum argumentum est, decretum quo prius illud nitebatur esse abrogatum, in eius locum novum quoddam institutum successisse. Atque eam esse Apostoli mentem ex toto capite manifestum est. Eadem Epistola cap. 6. dicitur Christus in cælum ingressus esse tanquam *præcursor* pro nobis. At quemadmodum etsi anima Christi Paradiso recepta fuerit, tum demum tamen Christus dicitur ascendisse in cælum cum corpus suum eò extulit, partim quia Christus homo totus non verò dimidiatus cælo receptus est, partim quia id factum est non clam & *ἀκρογωνίας* tantum ad breue tempus, sed solenni pompa; sic nihil prohibet quominus appelletur fidelium *σπὸς ῥυμς*, respectu ingressus qui post resurrectionem futurus est, tam etsi animæ patrum pariter *ἀκρογωνίας* usque ad eam diem in beatis illis & quietis sedibus repositæ fuerint.

XVII. Restant *πνεύματα* ἢ *οἱ φυλακῆς*, & sinus Abrahæ: Quorum prius facillè dissolvitur. Supple enim aliquid & sic lege apud Petrum, *ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορεύοις δεσφύεν*, quid planius erit quàm Christum cum adhuc Deus esset tantum (eius enim natura Divina *πνεύμα* nuncupatur, Rom. 1. 4. 1. Tim. 3 16.) prædicasse olim & tempore & ministerio Noë ijs quorum *πνεύματα*, ob inuictam & ἀμετανόητοι animi pertinaciam in carcerem horrendum postmodum coniecta, nunc iudicium expectant? Nihil autem proclivius est quàm istud supplere ex usu Hebræorum, apud quos τὸ *ῥυμ* vim obtinet verbi substantiivi iuncti cum pronomine relativo. Posterius mirum est quàm importunè diuexetur. Quandoquidem Christus nobis spopondit fore ut in cælo olim cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo ad mensam assideamus, quid ni sinus Abrahæ pariter in cælo collocabitur, cum duæ illæ phrasæ mutuè acceptæ sint è diuerso more epulandi, id quod alij assidentes ad mensam, alij decumbentes atque reclinati in sinum amicorum facere olim consueuerant? Nam ad parabolam quod atinet, si ideo sinus Abrahæ in inferorum margine collocandus est quia ex eo Lazarus colloquitur cum epulone, consequens & consentaneum est ut epulonis animæ vim *πυρρὸν* ignis, & linguam sitis ardore flagrantem, & eiusmodi alia *τίερα* tribuamus. Parabola est in cuius scopum vnum est intueudum, quæ ad scopum diriguntur, ut liberaiora esse solent & liberius enunciata, sic non sunt excutienda accuratius aut accipienda *καὶ ὁ ῥυμ*.

XVIII. Deinde & ex eo subruitur quod quemadmodum duplex est tantum hominum conditio, fidelium & infidelium, iustificatorum & damnatorum, sanctificatorum & eorum qui manserunt in peccato; sic etiam duplex tantummodò statuitur remuneratio, altera misericordiæ in beatitudine, altera iustitiæ in perpeffione cruciatuum æternorum, & duplex itidem locus, in quo remuneratio persoluitur, cælum & Inferi. Tertius nusquam apparet.

XIX. Denique illius ut quod maximè fundamenta conuellit, quod & nihil necesse fuit, & verò non decuit animas Patrum & Patriarcharum Limbo contineri. Quod nobis est paulo diligentius explicandum.

XX. Nihil, inquam, primum necesse fuit. Nam age fingamus animo ante Christi in cælum ingressum nulli licuisse eò intromitti, nusquamne alibi animæ Patriarcharum esse potuerunt quam in ipsis inferorum atrijs? Nullus alius locus erat in quo commodius recondenterentur? Non aliqua insula temperata & ab hominum consortio & cognitione remota, non sublimiores aëris partes conceptaculorum satis Patrum animabus

animabus præbere potuere? Non illis pars aliqua secreta sphaerarum caelestium, non stella seu errans seu fixa assignari poterat ad limen domus Domini, in qua perpetuo accinctæ essent & paratæ ad occasionem ingrediendi? Certe quidquid earum beatitudinis defuerit adeptæ tamen erant ius adoptionis, & omni peccato liberatæ, & admirabili quadam sanctitate donatæ, & fruendæ cœlesti æternæque hæreditati destinatæ. Itaque haud satis conueniebat esse tam procul à Dei conspectu amandas, ut statui damnatorum quàm seruatorum multo propiores essent. Eternitatis Candidatos, ut loquitur Tertullianus, oportuit saltem stare in vestibulo gloriæ, non locis illis horrendis atque tenebricosis detineri.

X X I. Imo quæ animæ iam ab aliqua parte beatitudine fruebantur, debuerunt eo loco contineri in quo beatitudinis sedes est. Beatitudine autem ab aliqua parte iam tum esse potitas sic breuiter explicamus.

X X I I. In beatitudine cœlesti duo sunt, Personæ status, & locus isti statui accommodatus. Et ad personæ statum quod spectat, dubitari quidem nequit quin fidelium animabus à corpore secretis multa etiam nunc desint quæ pertinent ad felicitatem. Primò enim sunt à corpore seiunctæ, corpus in sepulcro demortuum est: id quod est longè maximi momenti: tum quia corpus est pars nostri, minus digna quidem si cum anima comparetur, at essentialis tamen, quam Christus tanti fecit, ut eam & sanguine suo redimere, & habitatione spiritus sui cohonestare dignatus sit. Tum etiam ob admirabilem mutationem quæ in corpore erit. Quamuis enim tale nobis restitueretur quale tributum erat Adamo ante peccatum, beneficium tamen magnum esset, personæ totius redintegratio. Quanto igitur maius erit ubi id recipiemus longè gloriosissimum & incorruptione atque immortalitate donatum? Tum denique ob sensum ipsum animarum & inclinationem quâ feruntur ad corpus incolendum. Non enim modò corpus nostrum nunc vehementissimè diligimus, sed & animis nostris ab eo separatis inest acerrimus appetitus instaurationis illius, non in situs tantum atque innatus, sed & ortus ex præterito consortio, & ex notitia futuræ glorificationis auctus atque confirmatus. Qui appetitus neque omnino frustrari potest sine acerbissimo dolore, neque in nimis longum tempus protrahi sine aliquo tædio, neque vero expleri tandem sine gaudio incredibili. Hactenus ergo beatæ illæ non fuerunt. Non enim integrè beatus esse potest qui ipse integer non est, sed parte sui eaque essentiali mutilus atque truncatus.

X X I I I. Secundò in animis ipsis consideranda est cognitio & sanctitas. Et respectu cognitionis quidem multum defuit earum beatitudini duobus modis. Primum, quia non illis obuersabantur ea obiecta quæ vel nunc existunt, vel olim exitura sunt, corpora scilicet glorificata, mundus instauratus, Christus homo factus & ad dextram Patris euectus, & si quid est simile. Nemo enim certè dubitat quin ex obiectis ipsis vel omnino nouis vel in præstantiorem statum restitutis atque renouatis, fiat magna ad facultates quæ sese ad ea contemplanda appellunt, cognitionis accessio. Deinde quia quanto præstantiora sunt obiecta in se, tanto melius innotescunt virtutes causarum ex quibus proficiuntur. Non potuerunt ergo in Dei operibus eius virtutes diuinas, sapientiam scilicet, potentiam, iustitiam, bonitatem, misericordiam tam clarè intueri quàm clarè intuebantur postquam in instauratione rerum omnium luculentius apparuerint. Tunc *videbitur Deus sicuti est*.

X X I V. De sanctitate res est perspicua. Etenim eius perfectio vel spectat ad illius *ἐκτετατον*, vel ad *ἐσωτερον*. Et *ἐκτετατον* quidem perfectissima fuit animarum Patrum sanctitas, eo quod omne genus virtutum quæ in creaturam rationalem cadere possunt,

complexa est. De *hæroni* distinguendum est. Vt enim obiectum quod ad sui amorem allicit magis vel minus perspicue proponitur, sic etiam magis vel minus facultatem mouere aptum natum est. Perfecta ergo fuit earum sanctitas collata cum obiecti reuelatione: Hoc est, talis obiecti reuelatio non potuit vehementiorem amorem elicere quam elicuit. Perfecta non fuit comparata cum eo statu in quo futura est postquam obiectum longè propositum fuerit euidentius. Tum enim idoneum erit maiores actus elicere, pro excellentiæ suæ portione. Quantum enim cognoscimus tantum amamus, tantum autem cognoscimus quantum nobis reuelatum est, haud magis.

XXV. Ex eo tria necessariò consecuta sunt. Vnum quod cum gaudium nascatur ex sensu cognitionis & sanctimonix, atque adeò ex sensu reliquæ felicitatis quæ ad corpus spectat præcipue, nondum illæ animæ, quocunque in loco fuerint, perfecto & omnibus suis numeris atque partibus absoluto gaudio fruebantur.

XXVI. Alterum, quod nondum plenè fruebantur Dei visione beatificâ. Etenim cum essentia Dei neque corporeis oculis vsurpari, neque mente percipi ipsa per se queat (est enim & ἀόρατος & ἀσπλάγχνος) nec aliter perspiciatur quam in operibus in quibus sese aliquo modo videndum exhibuit, quantum absuerunt Dei opera tum ab ea perfectione quam olim consecutura sunt, tantum absuerunt excellentes illæ animæ ab ea Dei visione quæ perfectionem absolutam, & cum perfectione beatitudinem in se habet.

XXVII. Tertium, quod cum gloria quæ nobis præmij nomine promissa est in istis rebus præcipue consistat, nondum glorificatæ illæ fuerunt, nondumque præmio remuneratæ. Itaque mirum non est si negentur veteres Patres fuisse *τετελειωμένοι*. Hebr. cap. II. vers. ult. *τελειωτός* enim vndique absoluta non modò Christi aduentus priorem præcedere non potuit, sed etiam vsque ad diem posterioris eius aduentus dilata est. Ideoque nos ipsi dicimur esse spe seruati tantum, & id quod sumus tum demum reuelatum iri vbi Christus apparuerit. Rom. 8. 24. 1. Ioan. 3. 2.

XXVIII. Verum enimverò, vt vt ita se res habeat, negari tamen non potest quin ab aliqua eaque memorabili parte salutis compotes effectæ sint. Primò enim remissionem omnium peccatorum ob futuram Christi mortem erant adeptæ. Secundò, cognitio Dei quæ in ipsis adhuc in hoc sæculo degentibus admodum obscura fuit, mirum in modum aucta est postquam fuerunt corpore exolutæ. Liberatæ enim ab impedimentis & corporis & peccati quod in corpore est, & à spiritu Dei suauissimo lumine perfusæ, & in obiectorum diuinorum, qualia illis proposita sunt, contemplatione liberrimè constantissimèque versantes, quid prohibere potuit quominus notitiam quandam excellentem adipiscerentur? Tertio, sanctificatio quæ in ipsis olim inchoata erat duntaxat, ad eam perfectionem prouecta est quæ supra fuit à nobis explicata. Quarto, quia neque præsentium bonorum fruitio, neque futurorum certa expectatio absque gaudio est, incomparabili lætitia perfusæ esse oportuit eas animas quæ in se tot talesque salutis partes persentiscebant, quæque certissima spe præceperant possessionem tantarum rerum futurarum.

XXIX. Vt igitur tandem ad locum ipsum beatitudinis veniamus, multa sunt quæ nos eò inducunt vt credamus animas illas fuisse tum tertio cælo receptas. Primò enim, peccato semel prorsus abolito & respectu reatus, quod remissione fit, & respectu vitij, quod fit sanctificatione, nihil omnino impedit quominus Deus se se creaturæ fruendum exhibeat, quantum & creaturæ conditio & rerum status id ferre potest. Posuimus autem supra in Patrum animabus peccatum fuisse funditus deletum. Non putamus verò tam plenam Dei fruitionem esse posse vsquam alibi quam

in cœlo illo in quo Dei opera longè illustriora sunt & gloriosiora. Deinde cum salutis veluti tentamenta quæ illis in hac vita indulta sunt, originem suam non duxerint aliunde quàm è cœlo, (sunt enim & appellantur *ἐποράνια ζελοματα*) quid magis consentaneum esse potuit quàm vt remoto impedimento & corporis & peccati originem suam repeterent, abductis secum quæ illis affectæ erant animabus? Certè tam veterum Patrum quàm nostri *πολίτευμα* cæleste fuit, etiam in hoc mundo. Cæleste autem quomodo melius dici potuit, quàm quia quemadmodum ab aliqua vi cælesti profectum est, sic redolebat cæli puritatem & ad cælum adspirabat? Tertio, etsi quod futuri erant nondum erat planè reuelatum, erant tamen reuera filij Dei. Si ergo quandiu in eis fuerunt peccati reliquæ necesse habuerunt è domo paterna exulare, cur non semel peccati vinculis soluti, & ipsi adspirare ad Dei adspæctum pro iure filiorum auderent, & ab ipso Deo pro indulgentissima charitate ad eummitterentur? Quarto, & id sperasse videntur. Quod enim Dauid vsque adedò vehementer exoptat videre faciem Dei, potest quidem aliquatenus ad Arcæ adspæctum referri. Quia tamen nihil potuit esse in Arca quod tantam piæ animæ auiditatem expleret, consentaneum est vt aliquid amplius desiderauerit, præsertim cùm de morte cogitabat. Quid autem erat illud amplius? Quum resurrectionis spes in tam longum tempus dilata esset estne verisimile Dauidem in eam intuitum esse vnicè, neglecto toto eo tempore quod inter ipsius mortem & resurrectionem corporis intercurrere debuit? Quinto, non eò tantum spectasse videtur Enochi & Eliæ in cælum translatio vt Christi ascensionem præfigurarent, sed etiam vt ostenderent fidelibus quitypationem haud satis intelligebant, quid sperandum illis esset, quò totà mente totoque animo contendendum; vt non modo expectarent resurrectionem & glorificationem corporis, sed etiam certi essent fore vt statim atque redijisset in terram, spiritus ad eum à quo datus erat, reuerteretur. Denique si nemo in cælum introduci debet nisi prius Dei sacrarium referetur, non magis Christianis referatum est ante posteriorem Christi aduentum, quam referatum fuit Patribus ante priorem.

XX X. Patere nunc fidelium animis cælum & Pontificij ipsi ex parte confitentur, & Scriptura docet. Nam vt nihil de Paradiso in quem Christus latronis animam introdixit, repetamus, quid illud sibi vult quod Apostolus dissolui concupiscit vt sit cum Christo? Quid quod ait quandiu sumus in corpore abesse nos à Domino, at esse nos cum Domino postquàm è corpore migravimus? Quid illud est esse cum Christo nisi eodem loco contineri? Vbinam autem Christus est nisi in tertio illo cœlo? Adde quod Spiritus fidelium dicuntur ab Apostolo *τετελειωμένοι*; non absolute quidem, vt est à nobis obseruatum, sed ita tamen comparatè ad nos vt *τελειωσι* illa facta esse non possit alibi quàm in cœlo; quod partim ex re ipsa, partim ex loci circumstantijs palam est. Hebr. 12. 23.

XX XI. Non minus illis quàm nobis patere debuisse manifestum est. Nam multum quidem inter se differre videntur ea tempora quibus Christus quatenus homo nondum existerat, & quibus idem ille corpus suum glorificatum in cælum intulit. In eo quidem certè hæc nostra tempora antecellunt quod ad anteaكتورum reuelationem dici non potest quantum ex Christi manifestatione additum sit. Vnderum diuinarum noticia & in hominum viuientium animis, & in spiritibus fidelibus à corpore se junctis, & in Angelis ipsis longè maior, autore Apostolo cap. 3. ad Ephes. At ingens illa quæ facta est ad reuelationem accessio, non impedit quominus executio promissionum diuinarum dilata etiamnum sit vsque in vltimum diem. Nec quidquam frequentius est in Novo Testamento, quàm salutem nostram tum demum exhibi-



tum iri cum dominus corpora nostra è puluere suscitata cœlesti immortalitate induet. Ut igitur illi τετραμενοι non fuerunt sine nobis, sic nos τελεισθαι nequimus absque ijs electis qui non dum extiterunt in rerum natura. Vel igitur æquè cum illis seponimur in locum diversum atque discretum à cœlo, donec Christus venerit, vel illi in cœlum iuxta atque nos immitti debuerunt.

X X X I. I. Etenim ingressus Christi in sanctuarium nihil ad eam rem pertinet. Nam si peccatorum remissionem, & solutionem ab omni peccato, & inenarrabile gaudium, & vno verbo salutis eas tam memorabiles partes ex merito mortis Christi, Patrum animæ consequi potuerunt antequam Christus homo existeret, quidni pariter ex eodem merito potuerunt in cœlum ingredi antequam Christus eò euheretur? Certè locus haud parum facit ad beatitudinem. At res illæ vsque adeo loco præstant vt absque illis ne cœlum quidem optabile sit, illa etiam extra cœlum sint inæstimabilia, & vbicunque sunt cœlum aliquod facere propè videantur.

X X X III. Est igitur, vt ea seponamus quæ in hoc mundo fiunt, duplex fidelium omnium τελεισσις, duplexque in cœlum ingressio. Vna est quæ non aliò pertinet quàm ad sapientem & misericordem œconomiam quâ Deus erga fidelium animas vtitur, vt in loco sint conditioni suæ consentaneo quamdiu corpus est in sepulchri potestate. Vt quemadmodum Filius expectans corporis sui resurrectionem ad Patrem migravit, & sic aliquantisper in eius sinu conqueuit, sic etiam omnes ij qui τὴν τῶν ὁρίων ἐξουσίαν, per fidem acquisuerunt, redintegrationem sui corporis expectantes, desiderij sui molestiam, si qua est, leniant benignissimi Patris adspectu atque consolatione. Altera est quæ pertinet ad salaris ipsius & promissionum diuinarum representationem. Vt quemadmodum Christi anima è cœlo ad corpus reuocata vnà cum eo in cœlum denudò subuecta est, vt ibi maneat in æternum; sic etiam fidelium animæ ad breue momentum in terram deductæ vt cum corporibus vniantur, referantur in sublime statim, æque cœlestes illas sedes occupent in sæcula sæculorum. Sic erimus Christo Domino nostro per omnia conformes.

X X X I V. Vt autem posterior τελεισσις infinitis propemodum partibus antecellat, sic eius longè magnificentior est in Scriptura de prædicatio. Altera enim illa est animæ tantum, hæc personæ totius: Illa multis rebus imperfecta, hæc perfectissima absolutissimaque: Illa fit οἰκονομικῶς ad aliquod tempus, hæc vt duret in æternum: Illa non fit propriè vt representetur salus quæ promissa fuit, hæc fit vt promissionibus Evangelicis sua fides reddatur: Illa fit sine pompa, hæc in gloriosissimo splendidissimoque Christi comitatu: Denique illa habet in expectatione remunerationis solatium, in hac est remuneratio ipsa. Quid ergo mirum esse potest si vbi Scriptura hanc magnificentissimè describit & illius expectatione animos nostros suspendit, de altera non loquitur, præsertim in Veteri Testamento, nisi admodum parcè & quantum satis est duntaxat ad spem fouendam & sensum afflictionum mitigandum?

X X X V. Si quis igitur ex nobis querat vtrum Patres in cœlum ingressi sint ante Christi aduentum, respondebimus adhibita distinctione. Id affirmamus si de priore ingressione agitur: si de posteriore, negamus. Vt enim quibus triumphus olim Romæ decretus erat, donec magnifico curru & ingenti stipante hominum multitudine in Capitolium inueherentur non dicebantur in Urbem ingressi, tamen dum apparabatur pompa, in media Vrbe & publicis & priuatis negotijs ut priuati vacare poterant: Sic Patres & Christianos ipsos cœlo exclusos esse facile concedimus quandiu præparatur Christi triumphus cuius participes esse debent, tamen media, quoad animas, versentur in aula Dei, & eius adpectu longe iucundissimo fiantur.

XXXVI. Restat ut ostendamus etsi verum esset quod falsissimum esse certissimis rationibus addiximus, esse aliquem Limbum, nihil tamen necesse fuisse ut eò Christi anima commigraret. Id sic præstamus. Salus quæ animabus Patriarcharum obtigit considerari debet vel iniure eam possidendi, vel in notitia quam de eâ habere debuerunt, vel denique in eius possessione.

XXXVII. Iuris autem quid opus erat ut Christus ad Inferos descenderet acquirendi causa? Nonne plenè acquisitum erat in eius morte? Nonne id Pontificij ipsi agnoscunt? Aut putantne descensum istum Christi ad eius satisfactionem pertinere?

XXXVIII. De notitia res est evidens. Scilicet vis Spiritus Sancti quæ sanctas animas & illustrabat & sanctificabat, & consolabatur, & in spem rerum futurarum certissimam erigebat, tam facile potuit illis Euangelium reuelare quàm anima Christi à corpore seiuncta. Quid illa præstitit in eo negotio quod spiritus perficere nequiret?

XXXIX. Nec alia est possessionis ipsius ratio. Ut enim Christi corpus nihil necesse erit vltima die in sepulera detrudi ut inde corpora fidelium educat; satis erit si, quod facturus est, vim Spiritus sui ad eam rem exerat, iuxta illud Pauli, à 3^o τὸ πνεῦμα, &c. Rom. 8. II. Ita nihil opus erat animam eius penetrare ad tartara; è specubus subterraneis nullo negotio vi Spiritus sui potuerit animas Patriarcharum euocare. Concludimus ergo nullum fuisse istiusmodi Limbum, nullamque animæ Christi ad Inferos localem descensionem. Quomodo descenderit ad Inferos altera disputatio explicabit. Interim illi laudem omnem, cum Patre & Spiritu tribuimus, eis cūs ἀειράς.

FINIS.

THESES THEOLOGICÆ
DE DESCENSU CHRISTI
AD INFEROS

Præside D. MOSE AMYRALDO,

Respondente ANDRÆA MARTELLO, Montalbanensi.

PARS POSTERIOR.

THESIS PRIMA.



VVM, ut in priore parte huius disputationis observatum est, in multis Symboli exemplaribus articulus de Descensu Christi ad Inferos non extiterit olim, verisimile est id quod præstantissimi viri conjecturunt a. Post aliquantum temporis insertum eum, non protinus sed sensim Ecclesiis insenuisse. Aliquantum autem illud temporis memorabile certe quidem esse debet, quandoquidem Augustinus eum tam longo post Apostolos intervallo non agnouit. a. Caluin. Institut. lib. 2. cap. 16. §. 8.

I I. Rursus, quum nonnulla exemplaria in quibus articulus iste olim extitit, præcedentem de sepultura Christi non habuerint, vocabulum autem *ad*, vel semper, vel longè sæpius sepulcrum denotet in Scriptura, non modo ferenda est, vt viri doctissimi agnouerunt a, eorum opinio qui per Christi sepulturam & descensum ad inferos rem vnā & eandem denotari putāt, sed vero proximum esse videtur vnum ad alterum accessisse ex eorum nimia diligentia qui alterutrum non satis intellexere. Maluerunt, scilicet, in breuissimum symbolum repetitionem & *ταυτολογία* non necessariam inducere, quā committere vt quicquam ex doctrinis necessariis in eo desideraretur. a *Cham. de descensu ch. ad inf. cap. 2.*

I I I. Attamen quando in Ecclesiis nostris inualuit vt doctrina longè vtilissima, & ex ipsis religionis penetralibus deprompta, de angoribus animi Christi, ad articulum istum illustrandum adhiberetur, postulat à nobis officij nostri ratio vt istam interpretationem, quantum id à nobis fieri poterit, accuratè explicemus & confirmemus.

I V. Quando igitur angores Christi, *λύπη* a, *δάμνος* b, *ἀδυναμία*, *περιθυμία* c, *δανάη*, c, & siquid simile est, appellantur, omnes autem istiusmodi perturbationes oriuntur ex eo quod obuersatur animo obiectum aliquod metum & dolorem generare aptum natum, quod efficacitatem suā exeret, partim vt à facultate hoc vel illo modo constituta apprehenditur, partim vt ab obiecto diuerso spem & consolationem generante lenitur & mitigatur; nobis est hic disputandum. I. de obiecto quod Christus tum habuit ante oculos. II. de subiecti hoc est, animi Christi constitutione qualis tum fuit cū obiectum illud apprehendit: III. De ipso obiecto ad eius animum appulsu, qua ratione factus sit. IV. de natura effecti quod ex eo appulsu productum est. a *Matt. 26. 37. b Marc. 14. 33. c Matt. 26. 38.*

V. Et ad primum quod attinet, obiectum Christi animo duplex obuersatum est; Passio nempe ad quam se se præparabat, & illius Euentus. Et in passione quidem occurrebant mors, quæ ab ipsa Philosophia dicitur esse *φονεώπιον* *βέλος*: Dolor acerrimus conjunctus, à quo natura vehementer refugit: Infamia ex eo citra quod mors illi irroganda fuit autoritate publica tanquam ab uius criminis reo, quæ re omnes, boni precipuè, & qui optimi sunt maximè percelluntur: ac denique maledictio ipsa Dei, qua nihil horribilius excogitari potest.

VI. Atque eo in morte Christi horribilior fuit, quod cū maledictio singulis singulorum hominum peccatis denunciata, in se necessariò includat pœnam infinitam ob infinitudinem maiestatis aduersus quam perpetrantur, omnium hominum maledictio Christo imposita fuit: est enim factus *κατά* dum passus est a, passus est autem certè quidem pro omnibus. Si igitur aliquid esse posset infinito infinitius, pœna illa quæ Christo subeunda proponebatur excedebat infinitatem ipsam propemodum infinitè. Quis enim vel peccata sua numerare, vel omnium hominum numerum inire queat? *Gal. 3. 13.*

VII. Adde quod talis mors infligi non potuit nisi à Deo quantum fieri potest infenso atque irato: infligi enim debuit ex iustitia. Iustitia autem in Deo ira est. Quum igitur in eo iustitia Dei exercere se se voluerit qualis est, hoc est, tanquam acerrimam & inexorabilem peccati vindicatricem, necesse est vt eius ira fuerit in eo obiecto supra quàm quod dici aut cogitari potest, atrox & terribilis. Quod obiectum quantum terrorem iniicere valeat, nemo non videt.

VIII. In euentu offerebatur illi victoria certa & indubitata, atque adeo etiam plenissima. Mors enim superari debuit per resurrectionem; Dolor omnis facessere

atque in statum longè iucundissimum beatissimumque conuerti; Infamia deleri per Euangelij prædicationem quæ innocentia & resurrectionis Christi famam per vniuersum orbem terrarum disseminauit; ac denique maledictio exhauriri & cum inenarrabili gloria commutari. Vnde illa Apostoli verba, *γενόμενος ὑπὸ κρίσεως μέχρι θανάτου, θανάτου ὅτι τῆς αἰδοῦς* Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερέψωσεν, &c. Phil. 2. 9. Omnium enim istarum rerum promissionem à Patre habuit. Quibus omnibus addi & potest & debet salus hominum, cuius cura, quæ fuit Christi erga nos charitas prorsus inenarrabilis, acerrimè tangebatur. Quæ autem vehementissimè cupimus, ea vel tantùm sperata & considerata tanquam futura solent pariter animos nostros recreare. Atque hæc de obiecto.

IX. Subiectum, si spectetur persona integra, constitutum erat ex duabus naturis, diuina & humana. In quo duo considerata sunt; Vnio ipsa naturarum, & operationes quæ ex vnione promanant.

X. Vnio ipsa vsque adeo arcta fuit vt neque vnquam fuerit dissoluta, neque verò possit vnquam dissolui; vt ne mors quidem illius vinculum abrupuerit. At operationes sunt duorum generum. Nam vt eas omittamus quæ naturæ humanæ propriæ sunt, operationes diuinitatis in Christo circa naturam humanam, versabantur in ijs rebus quæ vel ad eius sanctificationem pertinebant, vel ex quibus pax & quies animi, & consolatio pendebat.

XI. Et illæ quidem vim & efficacitatem suam semper exeruerunt in Christo, quocumque in statu vel conditione fuerit. Fuit enim semper sanctus, neque verò alius esse potuit. Nam personæ, quæ Deus erat, conditio pati nequiuisset vt à sanctitate vel leuissimè descisceret: ratio muneris verò, quod salutis nobis impetrandæ causa constitutum erat, finem suum non esset assecuta, si ab ea quicquam reuerà desciuisset. Harum verò diuersa ratio est: potuerunt enim nonnunquam interquiescere, & re ipsa interquiescerunt, neque enim fuit, neque vero esse debuit Christus perpetuo latus est enim lætitia, si per se consideretur, bonum Physicum, quod à Christo, tametsi Deus esset, abesse potuit tamen quatenus homo fuit. At sanctitas est bonum morale, quod ab eo qui Deus est, ne quidem quatenus est homo seiungi vnquam potuit. Ea de causa Cathecismus noster ita loquitur. *Παυλίστην ἰντερεὰ δελιτσκεbat eius diuinitas, hoc est, vim suam non exerebat.* Tum enim diuinitas manifestam se facit cum operatur. Cum non operatur, videtur delitescere.

XII. Ad naturam humanam quod attinet, similis nobis erat in omnibus, excepto peccato. Sic autem sumus à natura comparati, vt possimus citra peccatum, 1. Metuere in periculis: nemo enim vnquam qui rectè philosopharetur, numerauit inter virtutes absolutam ἀφοβίαν. 2. Angi ex metu mali futuri & ex sensu præsentis: Neque enim metus neque mali sensus citra dolorem est, qui vbi eius causæ aliquantum inualuerunt, euadi in angorem. 3. Perturbationes illas persentiscere magnas pro magnitudine obiectorum metuendorum aut in quorum sensu iam versamur. Vt igitur metus acer dolorem, acrior angorem, sic acerrimus ἀδημονία generat citra peccatum. 4. Ex perturbationibus illis affici etiam quoad corpus. Est enim inter corpus & animum tanta consensio, vt alterius cum altero παθήματα communicentur.

XIII. Quod si fortè ista in animos nostros non incidunt, quæ est nostra naturalis corruptio, sine peccato, attramen non sunt ipsa cum ratione peccati coniuncta. Sunt enim τὰ πάθη à natura ipsa indita, cuius Deus auctor est. Potuit ergo natura humana Christi omnia ista experiri.

XIV. Hæc item de subiecto. Applicatio talium obiectorum ad subiectum duobus modis fit. Vel enim ipsa mens sese sponte sua, & citra vllam extraordinariam potentiam diuinæ operationem appellit ad considerandam eam rem quæ incurrit extrinse-

cus. Vel Deus efficacitatem aliquam adhibet, per quam res externa & in mentem influit vividiùs, & acriùs ac potentiùs eam commouet, quàm si sola per se in obiecti apprehensione versaretur.

XV. Et prior ille quidem quin hîc locum habuerit nemo dubitare potest. Nam duo illa obiecta Christo posita erant ob oculos mors præsens scilicet, & illius euentus futurus. Ab hoc mentem in totum auertere non debuit; ab alio mentem in totum auertere vel si maximè voluisset non potuit, vsque adeò se se pertinaciter intentabat. Itaque & ad alternum identidem, & ad utrumque simul nonnunquam eius animum applicari oportuit. Vnde tria consecuta sunt.

XVI. Primum est quod si quando mortis illius imago Christi sola aut penè sola mentem occupauit (quidni autem id contingere ad breue tempus potuit, quando quidem iam statuimus diuinitatem in eo suas operationes aliquantisper inhibuisse, ea verò est animi humani natiua conditio vt ingentia visa quum vehementius ingruunt ex eo ad momentum abigant omnem aliam cogitationem?) vitari non potuit quin ad eius adspèctum totus cohorresceret ac veluti consterneretur.

XVII. Secundum quod vbi duo illa vsqueadeò contraria sese ingesserunt eodem tempore, in eius animo conflictus inter ea factus est acerrimus, altero ^fciente metum doloremque longè maximum, altero spem excitante & consolationem. Non potuit autem iste *ἀγών* institui sine *ἀγῶνι* tanta, quantum certamen ipsum erat.

XVIII. Tertium, quod cum in omni tali certamine obiectum alterum alteri præualeat alternis, id quod metum ingerebat aliquando longè fuit efficacius quàm id ex quo consolatio sequebatur. Nā & quod præsens est naturā suā multo vehementius homines afficit quàm quod est futurum, & naturā nostrā insitum esse videtur vt impensius ex malis doleamus, quàm lætamur fruitione bonorum. Quod enim cum natura congruit, vix sentitur: quod ei aduersum est, si paulo sit acrius, non pungit modò sed cruentat; & ita abhorret à dolore natura nostra vt multi summam voluptatem in indolentia posuerint.

XIX. Quomobrem etsi nihil aliud esset, mirum non est si Christus magnopere metu & angore conflictatus, est. Vt enim erat, quatenus homo, præstantissimis facultatibus præditus, non potuit non accuratissimè perspicere quantum illud esset in quo posite erant causæ metuendi. Sciuit esse mortem, cruciatuum plenam, plenam infamiae, & ab ipso Deo maledictam, ideoque naturā suā infinitam. Infinita autem concipi non potuit ab homine quatenus homo erat quin conciperetur & respectu cruciatuum atrocissima, & respectu durationis æterna. Certè si, vt vult Apostolus, exauditus fuit ab eo quod metuebat ^a, mortem autem perpassus est, metus eius vltra mortem præsentem extendebatur. Vnde illud præstantissimi viri. *Timebat ne malis obrutus succumberet, vel morte absorberetur* b. Calvin. in comm. ad eum locum. a *Heb.* 57.

XX. Ad posteriorem modum quod spectat, dubitabile non est quin hîc Deus potentiae suae efficacitatem aliquam adhibuerit. Nam de obiecto illo quidem ex quo spes & consolatio manare potuit, paterna bonitas à Deo postulauit vt subinde illi reuocaret in animum id vnde dolor iste tantus mitigaretur, & imminueretur ea formido quæ mentem illius tantopere vexabat. De altero non postulauit modò sed flagitauit etiam relatio iudicis, vt Christi menti ab ipso numine obijceretur. Nam quæ circa corpus fiunt, ad ministrari possunt ab hominibus. Conscientia ipsa neque sensu doloris torqueri satis potest, vt iustitiæ diuinæ satisfiat, nisi iustitia ipsa Dei se se iatus reuelante. Quum itaque Christus iustitiæ diuinæ satisfacere debuerit, oportuit

eum in intimis conscientiae sensibus Deum iudicem experiri. Ea de causa Catechismus noster ista Prophetæ verba eò retulit: *Percussus fuit manu Dei propter peccata nostra, vulneratus propter iniquitates nostras.* Es. 53. 4. 5.

XXI. Quando igitur ex sola mentis Christi, si nihil amplius fuisset, ad duo illa obiecta applicatione ortus est acerrimus conflictus, & ex conflictu angor vehementissimus, quid existimare debemus de eo quod ex illis proficisci potuit, ubi ad eorum vim deus peculiarem quandam ex se addidit efficacitatem? Nam & species mali sæpius recurrebat, & diutius adhærescebat atque pertinaciùs: quia cum *χρὶς τοῦ πατρὸς* hic se se non exereret nisi quantum necesse erat ut Christus dolore non absorberetur, *χρὶς* Dei vindicis idè se se explicabat ut infinita hominum peccata pro maiestatis suæ dignitate vindicaret. Vnde illud, *Deus mi, Deus mi, cur me dereliquisti?*

XXII. Ex eo igitur, ut ad quartum veniamus, nati sunt illi animæ Christi cruciatus quos memorant Euangelistæ. In quibus fuit, primò, dolor quantus maximus in creaturam cadere potest: secundò, nulla desperatio tamen: tertio, nullum peccatum; nam id aliquanto plenius adhuc explicandum est.

XXIII. Primum ex verbis ipsis supra commemoratis manifestum est. Nam omnis metus coniunctus est cum ægitudine aliqua; & quanto maior ille est tanto hæc fit minus tolerabilis. *Θάμβος* autem est aliquid plusquam metus: percellit enim ita ut penè det in stuporem ac mentem eripiat. *Adνoνία* facit ut animus veluti concidat. *Τυχή* verò *πρίνυτος* *ἐὸς θανάτου*, quid aliud est quam animus tristitia & mœrore ita penitus affectus & undique circumfusus ac circumuentus, ut tenebris mortis ipsius obfusus esse videatur? Huc accedit vehementia precum, quibus poculum istud à se amoliri conatus est, huc clamor ille ex intimo pectore erumpens, hinc vis ingens lachrymarum fluentium cum incredibilis mœstitiæ testificatione singulari.

XXIV. At nihil quidquam id melius demonstrat quam sudor sanguineus tanta copia prorumpens ut in grumos concreceret. Nam si *πᾶς* quod sudorem aqueum procreat magnum esse existimatur, quanta fuit illa animi cum mœrore conflictatio quæ sanguinem expressit? Certè oportuit extraordinariam quandam sanguinis & spirituum ex partibus exterioribus ad interiores, ex interioribus ad exteriores reciprocationem fieri, cuius æstu atque agitatione non cutis atque carnis meatus tantum, sed & ipsa vasorum oscula & penè vniuersa corporis compages resolverentur. Quod si factum esset ab aliqua alia causa merè Physica, mirum videretur. Quanto magis igitur id mirum videri debet cum narratur esse profectum ab animi pathemate? Vtrique Aristoteles memorat quidem nonnullis accidisse ut sanguineum quid sudore excernerent *ὅτε καχεξία* a. At ut ex corporibus optimè constitutis, quale fuit corpus Christi, sanguis purus tanta copia per sudorem ex animi mœrore efflueret, etsi non caret omni exemplo, est tamen ita rarum ut habeat in se aliquam mirabilitatem. a. *Arist. lib. 3. de part. animal. cap. 5.*

XXV. Secundum ex ipsa re patet. Nam desperare is dici potest tantummodò qui adèdò vehementer pertinaciterque percellitur aut præsentia periculi aut mali sensu, ut vel omnino non reflectat mentem ad promissionem felicitis euentus, vel si mentem eò reflectit, spem suam sinat obrui, ita ut neque ex promissione erigatur, neque consolationem admittat, sed abijciat omnem de salute cogitationem.

XXVI. Ut igitur qui stat in margine horrendi præcipitij firmis circumdatus clathris atque cancellis, etsi præsentis periculi specie subito correptus vehementer expauescat, non desperat tamen si oculos identidem in clathros coniiciens animos recolligit, ac tandem excutit omnem ex mente formidinem: sic Christus desperasse non

potest, qui etsi dum ὁ Φοβερός se se terribilius intentabat in istum angorem incidit, retinuit tamen promissionis memoriam, & se se ex eius intuitu subinde recreauit.

XXVII. Tertium minus perspicuum non est. Etenim, ut iam obseruatum est, neque metus, neque doloris sensus, neque moeror ex ijs ortus, per se morale malum est. Itaque si quod est peccatum in perpeffione rerum istarum, id consistit vel in desperatione euentus, cum est causa bene sperandi; vel in mollitie animi fracti atque deiecti, cum malum potest à viro constantitolerari; vel denique in impatientia aut murmure aduersus Deum, quod in vitio ponitur etiamsi nulla bene sperandi causa superesset. Nam Diaboli & damnati in eo non peccant quod desperant de salute, quia nulla causa est cur salutem expectent. At in eo peccant quod in ista euentus desperatione efferuntur impatientia, atque adeò etiam in odium & blasphemiam aduersus Deum prorumpunt.

XXVIII. At Christus, quodocunque id necesse fuit, reflexit mentem ad promissionem euentus, & quodocunque id fecit semper sperauit; & tamen incredibilem anxietatem senserit, nihil tamen molliter aut fecit, aut dixit, aut cogitauit, neque sub tanto mali pondere animum labascere passus est; & denique cum eius mens tanti mali specie penitus occupata in eo ferè vno defixa erat, semper ita animi motus moderata est, ut nihil quidquam vel leuissimè cogitauerit quod non esset coniunctum cum summa reuerentia numinis, summoque amore Patris cœlestis, etiam cum ab eo acerrimè puniebatur.

XXIX. Quando autem angor ille incredibilis malum physicum fuit, fuit autem in Christo absque peccato quod ipsius Christi peccatum esset, operæ pretium est disquirere paucis quam ob causam fuerit irrogatum. Nam eorum error qui negant in Christo fuisse veram tristitiam, sed tristitiæ vmbra tantum atque inanem rei imaginem, ut est à Religione prorsus alienus, & à Christianis hoc tempore vniuersè reiectus, sic nunc à nobis non attingitur.

XXX. Neque refutatione dignos eos existimamus qui putarunt Christum esse contristatum, vel discipulorum commiseratione, quia scandalum passuri essent, præsertim verò Iudæ quem videbat esse periturum: vel ideo quia peccatum ad quod Iudæi se se accingebant, esset in eos accersiturum horrendum exitium. Illi enim in tanta rei euidencia, Christum reformidasse mortem, tam alienam à veritate sententiam amplecti nequiuerunt, nisi ut vitarent offensionem quæ nulla est, quasi id, talem reformidare mortem, Christum non decuisset.

XXXI. Et proximè ad istius opinionis absurditatem accedunt qui agnoscunt quidem in Christo metum mortis illius, sed ita sponte susceptum atque liberum ut cum vellet timeret, cum nollet non timeret, nullo negotio. Quasi verò istiusmodi πάθος essent ita in hominum potestate, ubi tales tantæque causæ metuendi ingruunt. Non fuit illa Christi commotio vel ex animi arbitratu suscepta, vel orta ex leui perturbatione, quæ breui sedata facile deponeretur. Fuit propemodum intolerabilis angor ob malum quod à Deo deprecatus est quantum potuit, & quem tantum abest ut facile deposuerit, ut potius opus ei fuerit Angelorum consolatione quàm subleuaretur ipse & confirmaretur. Luc. cap. 22. vs. 43.

XXXII. Neque ei fuit à Deo inflictus iste dolor periclitandæ eius constantiæ causa. Non conueniebat indulgentissimi Patris sapientiæ ac bonitati ut dilectissimus Filius non alia de causa tam graui cruciatu tentaretur, quàm ut tentaretur duntaxat: Et quamuis constantissimus in eo fuerit, constantiam tamen non cam exhibuit quæ nobis propriè proponatur ad imitandum in tentationibus nostris. Etenim nos

non decet angī instar Christi, si crux ferenda est, sed martyrum patientia imitanda est qui mortibus atrocissimis obiecti exultarunt. Non enim Deum horrere debemus tanquam iratum, qui se se patrem in afflictionibus nostris nobis ostendit.

XXXIII. Noluit etiam Deus in eo manifestare infinitum ius quod obtinet in creaturam, tale ut etiam in fontem grauissimis cruciatibus afficere possit. Vix enim ac ne vix quidem vnquam eo iure vsus est. Si eo iure aliquando vsus est, id factum est in rebus multo mitioribus ac leuioribus quàm quæ sunt à Christo Domino nostro exantlatæ. Si denique ad ius illud ostendendum tam graues cruciatus nonnunquam adhiberet, abstinere tamen à dilectissimo & vnico filio, & in quo tam clarè testatus est se se *ἐνδοξότερον*.

XXXIV. Denique non fuerunt isti angores preparatorij ad quidquam aliud. Nam Christus quidem multa passus est in toto vitæ curriculo quibus sanctissima ipsius persona obnoxia non fuisset, nisi se se ad crucis sacrificium preparasset. Quia crucem meditabatur, debuit ad eam per gradus accedere, ac veluti rudibus proluere antequam ad certamen ventum esset. At iste angor illud ipsum erat ad quod se se ita preparauerat, & quod summum in Christi passionibus fuit, non potuit esse ad eius passiones *μεγαλυναντων*. Qua propter necesse est ut angores isti rationem habuerint pœnæ pro peccatis nostris. Quod Iesuitæ ipsi agnouisse videntur. Maldonatus in Matth. 26. 37.


XXXV. Atque ex eo duo consequuntur. Vnum quod non debet calumniosè vexari id quod dicitur in Catechismo nostro, *Christum fuisse huic damnationi subiectum*. Quando enim passus est malum physicum ingens irrogatum à summo iudice ob malum morale, non suum quidem, sed alienum; tale autem malum ob talem causam neque solet neque debet à Iudice irrogari nisi reo damnato, perspicuum est Christum quatenus erat sponsor noster, fuisse damnatum eatenus. Nec horribilius est pijs animis Christum fuisse damnatum quàm fuisse maledictum: quod de eo Paulus disertis verbis affirmavit. Gal. 3. 13.

XXXVI. Quin maledictio est aliquid amplius quàm damnatio. Certè in Scriptura veteris Testamenti omnis maledictio damnatio est, aut pœna damnato imposita; at non omnis damnatio continuò maledictio dicitur. Et demum maledictio est damnatio quæ ad suspendium adigit, & sic appellatur *ἡ ἐξω* aliquam, ob singularem scilicet & extraordinariam supplicij illius tum atrocitatem tum ignominiam.

XXXVII. Alterum quod nihil prohibet quominus Christus dicatur ea de causa descendisse ad inferos. Nam & in corpore grauissimos cruciatus, & in animo incredibiles angores, & in vniuersa natura humana horrendam quandam ignominiam & maledictionem perpeffus est. Quum igitur qui damnati sunt in inferis nihil quidquam vel patiantur vel passuri sint præter cruciatum corporis & angores animi, & persone infamiam ac maledictionem vniuersæ, in Inferis fuisse rectè dicitur qui iisdem rebus, eadem de causa ab eodem iudice, obnoxius factus est, etsi, quod ad locum attinet, Inferos numquam viderit. Sic in cœlo versari dici possunt qui tamen nondum in cœlum ascenderint, cœlestes sequuntur institutum, & vitæ cœlestis exhibent illustria specimina in sapientia, sanctitate & consolatione. Ea propter appellatur *παινετικὸν* nostrum *ἐπουράνιον*. Ei qui nos tot tantisque suis cruciatibus in cœli spem erexit, sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

F 2



THESES THEOLOGICÆ
DE
PURGATORIO, QUID, QVALE,
ET VNDE SIT, QVIBVSQVE
NITATVR RATIONIBVS.

Præfide D. LVD. CAPPELLO,

Respondente IOSEPHO MARRAS, Lectorensi.

POST DISPUTATIONEM DE CHRISTI
ad Inferos descensu, & Limbo Patrum, ordo & series harum Dis-
putationum postulabat ut de Christi Sacerdotio, Sacrificio, & Inter-
cessione jam ageretur, sed quando de eo argumento singulari disputa-
tione jam ante aliquot annos actum est, consequens est, ut pro or-
dine instituto, nunc agatur de Purgatorio, eiusque appendicibus,
humanis Satisfactionibus & Indulgentijs Pontificijs.

THESIS PRIMA.



E Purgatorio autem quatuor ista præcipuè veniunt nobis expendenda. 1. Quid & quale sit Pontificiorum Purgatorium. 2. Vbi ortum, & unde sit in Ecclesiam Christianam inuectum. 3. Quibus, hoc est, quàm nullis & futilibus nitatur argumentis & rationibus. Denique, quàm sit ab Orthodoxa, & Christiana veritate, in Verbo Dei nobis reuelata, alienum. De tribus prioribus breuiter, hac Disputatione, cum bono Deo, acturi sumus.

II. Et ad primum quidem quod attinet, certum est astu & arte Satanæ maturè in Ecclesiam Christi inuectos esse varios de igne quodam animarum purgatorio errores. Ac primo fuit hæresis illa pridem explosa atque damnata, quæ Origeni tribuitur, qui omnes impios, etiam Diabolos, post longa multorum sæculorum in Gehennæ igne supplicia, censebat esse tandem saluandos: sic enim statuitur ignis ille pæ-

catorum purgatorius atque expiatorius. Alij sententiam illam sic interpolarunt, atque emollire & corrigere conati sunt, ut eorum nonnulli solos Diabolos, alij cum Diabolis solos Ethnicos & Iudeos incredulos, siue omnes non Christianos, à salute excluderint.

I I. Successit illi multis veteris Ecclesiæ Patribus non improbata sententia, de vniuersalis rerum omnium, quæ ultimo Iudicii die futura est, conflagrationis igne, per quem omnes omnino homines (solo Christo excepto) etiam Apostoli & Beata Virgo, transitori, & pro mora transitus, ac peccatorum modo, numero & grauitate, variè, (alij plus, alij minus) probandi, & igne illo excoquendi, impij verò & impenitentes omnes in eo perpetuo mansuri atque in æternum excrucianti sint.

I V. Alij non putarunt probationem & purgationem istam tam diu esse differendam, malueruntque eam statim à morte vniuscuiusque hominis Christiani inchoare, & ad diem vltimi vsque iudicii prorogare, atque isthic eam terminare, ab ea autem excipere vnâ cum Beata Virgine, & Christi Apostolis atque Euangelistis, Martyres, Confessores, aliosque nonnullos eximie Sanctos qui miraculis inclaruerunt, quæ est vulgo recepta in Ecclesia Romana sententia.

V. Atque hic quidem sedulo, ac subdolo, sed irritò tamen, consilio cauisse videtur Synodus Tridentina, nequid temerè de commentitio isto igne statueret, quod facile redargui posset. Purgatorium enim esse duntaxat edicit, at quid & quale illud sit non definit, *Sanam de Purgatorio doctrinam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri & predicari vult*, neque tamen quæ sit sana illa doctrina indicat, ut nempe sic liberè & impunè liceat per suos Doctores, Concionatores & Confessores populo obtrudere & venditare, sub specioso Traditionis, Patrum & Conciliorum nomine atque titulo, bellas, quæ de Purgatorio illo igne, iam ab aliquot sæculis, in Ecclesia illa vulgò obtinuerunt, nugas atque fabulas.

VI. Qualis autem sit illa doctrina ex doctorum Ecclesiæ illius Scriptis, Concionibus ad populum, priuata plebis institutione, ac manifesto populi (qui in Ecclesia illa viuit) vniuersali consensu, liquet, Purgatorium ex eorum mente, esse ignem quandam materialem feruentissimum, quo animæ fidelium à corpore per mortem solute cruciantur, locum autem, seu conceptaculum, ignis illius esse in intimis terræ visceribus, supra, vel iuxta, aut circa Gehennam ipsam, cuius flamma atque æstus inde in locum illum erumpat, & animas carcere illo conclusas tam diu torqueat atque excoquat, donec pro peccatis, per sufficientem in hac vita poenitentiam non expiatis, illic planè iustitiæ diuinæ satisfiat, nisi interim viuorum in hoc mundo precibus atque suffragijs, variisque quæ ipsi confixerunt adminiculis, aut verò Pontificis ipsius Romani Indulgentiis, illis subueniatur, cruciatuque illo tandem liberentur.

VII. Cætera de quibus vel inter ipsos non satis conuenit, vel quæ sunt ignis illius appendices & sequelæ quædam necessariæ, iam non moramur, nec in iis explicandis, vel refellendis immorari nunc libet. Extingto enim igne illo affusâ purioris doctrinæ Euangelicæ aquâ salutiferâ, ex scripto Dei verbo haustâ, in fumum abeunt atque vltro euanescent omnia illa.

VIII. Ad secundum verò quod spectat, commentum illud de igne Purgatorio videtur apud Ethnicos primò ortum, natum atque conceptum, qui in inferis, præter Tartarum & cæpos Elysios, varia confixerunt loca, in quibus Manes, seu demortuorum animæ *Exercantur poenis, veterumque malorum Supplicia expendunt*, ut canit Poëta. Quam

sententiam Plato in scriptis suis explanat, ac pro virili exornat & confirmat. Vnde sensim in Ecclesiam Christianam dimanauit, paulatimque, remporis progressu, per varios gradus, sæculorumque labentium diuersa momenta. puriore, de vera iustificationis nostræ coram Deo ratione & modo, doctrinā obsolescente atque obscuratā, recepta, aucta & confirmata est (quia prima fronte parum aut omnino non noxia videbatur) altioresque tandem in Ecclesia Pontificia radices egit, donec postmodum Concilij Florentini calculo & autoritate antè annos circiter ducentos, comprobata, pro articulo fidei populo Christiano obtrusa est.

I X. Non autem eo nomine duntaxat à nobis simpliciter damnatur atque rejicitur sententia illa, quod fuit olim ab Ethnicis credita, alioqui multa quæ de Deo, bonique & mali, virtutis & vitij, discrimine bene illi senserunt, & docuerunt, nobis essent pariter reiicienda. Verùm, cum nullo Verbi Diuini in S. Scriptura testimonio enitatur, meritò nobis suspecta esse debet, quod ab eiusmodi Ethnicæ Philosophiæ atque Theologiæ fonte orta est, cum quis sit mortuorum, post hanc vitam, status & conditio non aliunde nobis certiùs & solidiùs innotescere possit aut debeat quàm ex diuina reuelatione sacris litteris consignatā?

X. Nam bonis quidem benè, malis verò malè, olim aliquando in genere futurum esse, ipse naturalis conscientiæ (nisi prorsus stupeat) sensus, & diuinæ tum iustitiæ tum bonitatis naturalis cognitio, dictare eis potuit. Verùm quis sit, vel esse possit, vera expiandi & purgandi peccati, ac pro eo diuinæ iustitiæ satisfaciendi modus & ratio (& quidem maximè in vita futura) quis nos præter Deum certò docere possit, vel unde reuelationem illam diuinam tutò habere possumus, quam ex sacris illis libris quos ipse Ecclesiæ suæ, ad nostri institutionem, tradidit?

X I. Ac frustra est Bellarminus (lib. 1. de Purgatorio cap. 7.) quum consensum omnium in Ethnieismo vult esse argumentum veritatis, lumine rectæ rationis naturalis ipsis cognitæ. Nam, 1. Estne consensus gentium in Idololatria & *πολυθεΐσμι*, quam omnes gentiles secuti sunt, argumentum eiusmodi veritatis? Deinde, potestne lumen naturalis rationis eò penetrare, vt diuinet, atque certò perspiciat, an quibusdam post hanc vitam ita malè sit, vt tandem exacto aliquo suppliciorum tempore, benè illis postmodum esse debeat? Deum certè necesse est nobis reuelare an ita se res habeat. Nam quod de mediocriter bonis & mediocriter malis obijcit, quibus medium statum conuenire, cum Platone, ait, futile est. Nemo enim ita mediocriter apud Deum malus est, qui non æternum pro peccatis mereatur supplicium, nemo ita mediocriter bonus (si verè bonus & seriò pœnitens est) qui non in Christo omnium peccatorum suorum pœnæ plenissimam in hac vita veniam gratuito per fidem consequatur, ita vt nulla supersit illi postmodum luenda in vita futura pœna.

X II. Videamus itaque jam, tertio loco, quibus Dogma istud nitatur rationibus, & an Verbo Dei nobis in Scripturis reuelato (quod fidei nostræ vnica certissimaque Norma esse debet) rectæque ad eò rationi consentaneum sit, ac non potius illi manifestò repugnet. Ne autem omnino nihil in tam absurdo dogmate dicere videantur, vtque fucum simplicioribus faciant, pugnant illi primum autoritatē, deinde verò ratione. Et autoritate quidem, tum Scripturarum, tum Patrum & Conciliorum. Scriptura quam adferunt vel est ex Apocryphis, vel ex Canonicis libris. Ex Apocryphis duo sunt in vniuersum loci quos adfert Bellarminus, prior ex 2. Machab. 12. 14. posterior ex Tobia cap. 14. 18. Canonica Scriptura vel est Veteris vel Noui Testamenti, nam ex vtraque testimonia in speciem saltem, & dicis causā adferunt.

XIII. Et ad testimonia quidem ex Apocryphis libris ducta, Resp. 1. In genere, illa (etsi manifesta forent) non tamen vrgerè, quia eorum autoritas non est diuina, sed humana tantum, quod & responsum volumus ad ea quæ ex Concilijs & Patribus adducuntur. Deinde, in specie, ad locum, 2. Machab. Resp. 1. Ex Iudæ, pecuniam Ierosolymam ad offerenda sacrificia mittentis, facto nihil pro statuminando purgatorio elici posse. Non enim voluit offerri sacrificia illa ad obtinendam à Deo relaxationem pœnæ, post hanc mortalem vitam, illis qui iusto Dei iudicio (ob mortale peccatum ab ipsis in Idolothytis, quibus illi se polluerant, admissum) in pugna ceciderant, (nam ne ipsi quidem Pontificij pro eiusmodi sceleratis hominibus qui sic moriuntur, orare licere putant, quanto minus Deus lege Mosaica id fieri iussit aut permisit) sed ad auertendam à reliquo populo Dei iram, ne ob graue hominum istorum crimen atque scelus, toti Iudaicæ genti succensere vellent, quomodo olim ob vnus Achanis interdictum, & delictum non expiatum, reliquo populo iratus fuerat Deus. Deinde non moramur Scriptoris libri illius, semi-Iudæi & semi-Ethnici, Iudæ factum secius quàm oportuit accipientis atque interpretantis, prauum & distortum iudicium, sicuti nec laudationem Razæ seipsum interficientis, quem ea propter in cœlum euehit, quo satis ostendit parum esse illius iudicio & auctoritati in rebus fidei & morum tribuendum.

XIV. Loca ex Tob. 4. 18. & 1. Sam. 31. 13. de fidelium lætu, & largitione erga pauperes, vel conuiujs in funere mortuorum vſitatis agunt, de igne Purgatorio ne quid quidem. David Psal. 38. 1. non ignem Purgatorium (cuius nullus meminit) sed horrendam Dei iram in sua peccata accensam deprecatur, & à capite suo auerti postulat. Ignis cuius ipse meminit, Plal. 46. 12. non potest esse Purgatorij ignis (non enim in Purgatorio puto descenderat, quum illa scriberet) sed sunt afflictiones (quæ igni comparantur) quibus Deus suos in hac vita probare solet. Eadem est mens loci, Esa. 4. 4. nam purgare & mundare, hoc est emendare, suos Deus dicitur quum eos affligit & castigat in hac vita. Locus Esa. 9. 17. Iudiciu Dei in impios in hac vita, non purgationem fidelium post hanc vitam denotat. Mich. 7. 8. 9. agitur de piorum in hac vita afflictione, à qua Deus eos non raro, videntibus & freudentibus impijs, liberat. *Lacus in quo non est aqua*, de quo Zach. 9. 11. non est Purgatorium (frigidum enim esset dicere, in eo non esse aquam, vbi ex illorum hypoth. si est feruentissimus ignis) sed est peccati, & per peccatum mortis & miseriæ sempiternæ, status & seruitus, à qua per Christi sanguinem liberamur. *Ignis conflans quo Dominus purgat filios Levi*, (Malach. 3.) non est ignis Purgatorij, sed vel vis ignea Spiritus sanctificantis Christi, vel ignis iræ & maledictionis Legis, in Christum Vadem nostrum, loco nostro in cruce patientem, recumbentis.

XV. Porro mirum est eos testimonia pro Purgatorio probando adducere ex Veteri Testamento, cum ipsi vel negent, vel dubitent, an tum Purgatorium fuerit, vel an quisquam eò post mortem concesserit, cum Limbus ab ipsis exstructus sit ad excipiendas illius æui fidelium animas, quo in Limbo nullus est, ex ipsorum sententia, ignis cruciatus.

XVI. Ex N. Testamento Bellarm. nouem ista profert pro Purgatorio stabiliendo loca. 1. Matth. 12. 32. *Neque in hoc sæculo neque in futuro remittetur ei*. 2. 1. Cor. 3. 15. *Seruabitur tanquam per ignem*. 3. 1. Cor. 15. 29. *Quid facient qui baptizantur & sepeliantur*. 4. Matth. 5. 26. *Non exibis inde donec solueris ultimum quadrantem*. 5. Matt. 5. 22. *Qui irascitur fratri suo temerè, reus erit Iudicij*. 6. Luc 16. 9. *Facite vobis amicos ex iniquo Mammona*. 7. Luc. 23. 42. *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum*



tuum. 8. Actor. 2. 24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus (vel funibus) inferni.*
 9. Philipp. 2. 10. *Vt in nomine Iesu flectatur omne genu, &c.*

XVII. Verum Matth. 12. 32. phrasi illa, *Neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur*, non significatur peccatum vllum in futuro seculo reapse remitti, sed sic loquitur Christus per concessionem, quasi diceret, etiamsi aliquod remitteretur, istud tamen quod est in Spiritum S. non remittetur. 1. Cor. 3. 14 *qui servatur tanquam per ignem*, ille est qui superstructis, fundamento doctrinae Christianae orthodoxae, vanis & foeni ac stipulae instar leuibus doctrinarum humanarum quisquilijs, in examine, quod Deus in vniuersiueque conscientia, Spiritu sui vi igne instituit, iacturam illarum quisquiliarum cogitur facere, illarum vanitatem agnoscendo & damnando. Ducta est metaphora ab illis qui correpta domo subito incendio, salui ex ea euadunt, sed iacturam factam earum quas domi habebant facultatum. Ex loco 1. Cor. 15. (de ijs qui baptizantur pro mortuis) longè obscurissimo, torque ac tam varijs, quas ipse Bellarm. adfert, (quibus plures aliae addi possent) obnoxio interpretationibus, quid certi pro Purgatorio elici potest? Nam 1. vnde nobis probabit Bellarminus, *Baptizari pro mortuis* necessariò isthic significare *affligi pro mortuis*, deinde, dato hoc non concessio, an qui affligitur pro mortuo eo ipso orat pro mortuo, vt illi impetret relaxationem à poenis Purgatorii? Annon afflictione illa sua testari simpliciter potest dolorem suum de amisso amico vel cognato?

XVIII. Matth. 5. 26. Carcer vnde non datur exitus nisi persoluto ultimo quadrante, non est Purgatorium, sed gehenna potius vnde nullus datur exitus. Neque enim Christus phrasi illa significare voluit, dari ex illo carcere de quo loquitur exitum, sed contrarium potius, quia nemo est qui Deo irato, & ex iracundia conicienti hominem in carcerem peccatis ipsius debitum, soluere possit vltimum quadrantem. Matth. 5. 22. Christus varijs iudiciorum humanorum apud Iudaeos gradibus & formis peccata alia alijs esse grauiora, & quidem, longè quàm Pharisei putabant, coram Deo atrociora demonstrat, non suppliciorum varia post hanc vitam in Inferis loca describit. Pauperes quibus in hac vita benefacimus, dicuntur, (Luc. 16. 9.) à Christo nos suscipere post hanc vitam in caelestia Tabernacula, non quia nos è poenis Purgatorii orationibus suis redimunt (nihil enim tale quid vel Christus, vel Apostoli eius docuerunt) sed quia per Mimesim quandam finguntur à Christo nos precedere in regno caelorum, atque isthic, ad portam Tabernaculi illius aeterni, nobis ingredientibus occurrere gratulabundi, ob beneficia à nobis hic in terris accepta.

XIX. Bonus in cruce, vnà cum Christo, pendens latro minimè certè de Pontificiorum cogitabat Purgatorio, quum Christum rogauit vt sui meminisset, sed simpliciter cupiebat, & à Christo suppliciter petebat, vt gloriae & felicitatis particeps fieret illius qua Iudei tum credebant fructuosos Messiae, quem exspectabant, affeclas. *Dolores, vel funes, Inferni* quos Deus in Christo soluit (Actor. 2.) non sunt poenae Purgatorii, quas Christus passus non est post suam mortem, sed est vis ac imperium Mortis in hominem quem sibi subiecit: nec aliud vult eo loco Petrus, quàm Christum non potuisse perpetuò sub mortis imperio detineri. Philipp. 2. 10. Per inferna quae Christo dicuntur genu flectere, intelligi possunt & debent, non Purgatorii incolae, quos nullos Paulus agnoscit, sed vel in genere Mortui omnes, in quos Christus imperium obtinet, quandoquidem iudicaturus est aliquando viuos & mortuos, vel in specie ipsi Diaboli & impij, qui vel inuiti Christo obsequium & debent, & quum aliquid imperare libet, etiam exhibent necessariò.

XX.

XX. Ex his videre est quam nulla Diuinarum Scripturarum autoritate nitatur Pontificij pro commentitio suo igne Purgatorio. Vnde depulsi ad hominum, hoc est, Patrum & Conciliorum, auctoritatem confugiunt. Conciliorum autem quæ adferunt, alia sunt vetera, alia recentia, ante 200. circiter annos habita, vt sunt Lateranense & Florentinum. Et horum quidem auctoritatem non moramur varijs de causis, tum quia jampridem Ecclesiam Romanam inuasit horrenda sub Romani Pontificis imperio doctrinæ Christianæ Orthodoxæ corruptio. In veteribus quæ Bellarminus citat Concilijs nulla fit ignis Purgatorii, sed Precum duntaxat & oblationum pro defunctis, in sacra Ecclesiæ Liturgia, mentio.

XXI. Verum à precibus & Oblationibus illis ad Purgatorium necessariò non concluditur. Nam etiamnum hodie Ecclesia Græca Purgatorium Pontificium non agnoscit, negatque ab vlllo antiquorum suorum Patrum fuisse creditum, quæ tamen preces & Oblationes illas vsurpat, & vsurpatas in Ecclesia fuisse agnoscit. Quin & Patrum nonnulli qui inquirunt in causas & rationes moris illius orandi & offerendi pro defunctis, Purgatorium, quale fingunt Pontificij, non allegant (quod tamen ab illis imprimis fieri debuisset, si illud credidissent) sed ad alia confugiunt: volunt nempe illa esse vel viuorum solatia, vel argumenta amoris & affectûs superstitum erga defunctos, vel testimonia publica Fidei Catholicæ de animarum immortalitate, corporum futuram aliquando resurrectione, fidelium defunctorum quiete & felicitate (pro illis enim orant *qui decesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, quæ verba non in eos quadrant qui tam diris torquentur flammis atque supplicijs) denique communionis viuorum cum fidelibus defunctis, tanquam eiusdem mystici corporis Christi membris, qui ad eandem cum illis beatam metam peruenturos se esse sperant, ac publico illo testimonio profitentur. *Epiph. Heres. 75. contra Aërium. Dionys. Eccles. Hierarchi. cap. 7. Orig. in Job. lib. 3.*

XXII. Porro non ab vlla institutione vel auctoritate Apostolica (cur enim istud in Scriptis suis tacuissent Apostoli, si id fieri à fidelibus voluissent) sed ab imprudenti & inconsulta Ethnicæ consuetudinis imitatione (cuius consequentiam, quam inde Satan postmodum elicit, non animaduertunt) primum in Ecclesiam Christianam irrepsit, paulatimque breui in ea vbique obtinuit, mos ille orandi & offerendi pro defunctis, cuius rationes modò allatas reddunt qui in eum inquisuerunt.

XXIII. Idem esto responsum testimonijs Patrum, quæ ibidem Bellarm. adducit, de precibus pro mortuis in Ecclesia suo tempore vsitatis. Neque eum magis iuuat quod eorum nonnulli dicunt, Precibus illis iuari defunctorum animas, non enim eo significant relaxationem pœnarum quibus statim à morte animæ in igne aliquo Purgatorio exerceantur, ac diuinæ iustitiæ pro peccatis suis satisfaciant, sed ideo volunt iuari animas piorum, superstitum precibus. 1. Quod illis qui in fide Christi moriuntur peccata, ex Dei gratuita misericordia, remittuntur. 2. Quod precibus illis tēpus beatæ resurrectionis quodammodo accelerari & veluti contrahi, existimarunt, quomodo Christus dicit, *Propter Electos contractum iri dies afflictionis in fine mundi*. Denique, quod in vltima resurrectione fideles mitius habitum iri crediderunt, quum (ex illorum Patrum Sententia) omnes per vniuersalis rerum omnium conflagrationis, in vltimo iudicij die, ignem transitori sunt, & pro mora transitûs (vti loqui amant) alij plus, alij minus, igne illo afficiuntur. Hoc enim fuit plerorumque Patrum primitiæ Ecclesiæ, hoc est etiamnum hodie Ecclesiæ Græcæ Purgatorium à Pontificio satis diuersum.

XXIV. Atque de eo igne, non de Purgatorio Pontificio, accipienda sunt loca

illa Patrum quæ Bellarminus adducit, sed frustra, pro suo Purgatorio.

XXV. Sic autoritate tum diuina, tum humana defunctus, sed in cassum, Bellarminus ad rationes se conuertit, quibus Purgatorium suum stabiliat. Eas quinque numero adfert. 1. Est distinctio peccati in *mortale & veniale*: 2. Remissio culpæ retentâ pœnâ. 3. Consensus gentium in Ethnicismo. 4. Somnia, Visiones, Apparitiones animarum è Purgatorio egredientium, quæ mira de eo hominibus narra-runt. 5. & vltima, quod nî detur Purgatorium lata aperitur hominibus impunè pec-candi porta.

XXVI. Sed postrema ista causa, nihil aliud est quàm mera, & inolita homini-bus illis, veritatem orthodoxam calumniandi libido. Nam tantum abest vt doctri-na de gratuita nostri, in Christi sanguine per solam fidem, iustificatione, licentiam illam in piis gignat, aut verò alat & foueat, vt contra nihil eâ sit ad veram sanctifi-cationem ingenerandam efficacius, *fide enim purificantur corda*. Actor. 15. 9. & quo quis pius de illa Dei summa erga se charitate magis est persuasus, eo per syncerum sanctitatis veræ studium Deo, ob illud gratuitæ iustificationis beneficium, gratum magis se præbet. De tertia, supra Thes. II. diximus. 1. & 2. nobis mox erit examinanda & refellenda. Sola restat quarta, quæ vnicum est & genuinum, sed cas-sum & putridum, Pontificij Purgatorij fundamentum.

XXVII. Non quod velimus falsas & confictas esse omnes, quæ de spectris & apparitionibus illis proferuntur, narrationes (quanquam in hoc genere sublesta ad-modum solet esse Scriptorum fides) sed quia Apparitiones illæ meræ sunt prefigiæ Satanæ, homines fabularum magis quàm diuinæ veritatis, Verbo ipsius reuelatæ, studiosos (quales Apostolus prædicit fore in vltimis temporibus. 1. Tim. 4. 1.) de-ludentis, atque Ethnicum de igne Purgatorio somnium ac commentum, Dei gratiæ, iustitiæ, & bonitati summè iniurium, hominibus persuadere (ad obscurandum, & quantum in ipso est, ex mentibus hominum excutiendum, Dei erga homines per Christum beneficium ac perniciosum de propriis satisfactionibus dogma in Eccle-siam Christi introducendum) pro virili stidentis.

XXVIII. Sanè & Tertullianus & Chrysostomus scriptis suis exertè testantur, Dæmones suo tempore sepe in Arreptitiis exclamasse, se esse huius vel illius homi-nis, vel etiam Monachi, animam. Quod si per os *τῶν δαιμονιζούντων* id mentiebantur & finge-bant iam tum Dæmones, Deusque hoc illis permisit, quis nobis fidem faciet, eundem Dæmonem non esse qui in Somniis, spectris, Apparitionibus istis, quas ia-ctant nobisque obiciunt Pontificij, fingit & mentitur se esse huius vel illius in Pur-gatorio igne miserè discruciat, animam. Maximè cum iidem illi Patres ibidem tam exertè negent demortuorum animas è receptaculis suis ad nos huc redire, idque ef-ficacissimè probent ex Parabola Euangelica Epulonis & Lazari. Tertull. lib. de Ani-ma, cap. 57. Chrysost. in Matth. cap. 8. Homil. 29. Et de Lazaro Concione 2.

XXIX. Quin & rationem reddit maximè momentosam Auctor Questionum (sub nomine Athanasij) ad Antiochum, Quæst. 35. *Cur Deus non permittat animam alicuius eorum qui è viuis decesserunt ad nos redire, & enarrare qualisnam rerum apud Inferos sit status*. Respondet nempe, *Quia multi inde errores apud nos orientur. Dæ-mones enim formas humanas inducere possent, & in hominum demortuorum figuras transformari, ac dicere se à mortuis resurrexisse, atque inde multas res ementitas & falsa dogmata, de ijs quæ ibi fiunt, spargere, idque ad nos seducendum ac perdendum*. Hoc autem reapse euenisse quod ille metuebat, ex ementitis illis animarum, quas ia-ctant Pontificij, Apparitionibus plus quàm manifestum est.

XXX. Sed iam excutiamus duas Bellarmini, aliorumque Pontificiorum, funda-

mentales pro Purgatorio, causas & rationes. Prior est peccati in *Mortale & Veniale* distinctio, adeoque etiam æternæ pœnæ in temporalem commutatio. Peccata nempe volunt quædam esse *Mortalia*, quæ pœnam & supplicium merentur sempiternum, alia verò *Venialia*, quibus pœnam duntaxat temporalem deberi dicunt. Deinde, Christi merito fieri aiunt, ut mortalium peccatorum æterna pœna in temporalem commutetur, à nobis hîc vel in Purgatorio exigendam: denique, Deum *Culpam* quidem peccati remittere concedunt, *Pœnam* verò, post dimissam culpam, exigere contendunt.

XXXI. Verum, dato, non concessio, peccata quædam esse, eo quo volunt sensu, venialia, an cum summa Dei bonitate, clementia atque misericordia stare potest, ut illam pœnam à nobis ipsis exigat, maximè cum tam grauis sit ignis Purgatorius, ut eundem esse velint cum gehennæ igne, differre duntaxat duratione. *Delicta, & שגיות peccata per errorem, vel ignorantiam, admissa quis intelligit*, inquit Propheta Psal. 19. tantus nimirum est eorum numerus, nobisque planè ἀκατάριθος. Est ne ergo hoc Deum facere summè misericordem, credere eum tam diris cruciatibus, tam diu, torquere eos quos amat, quos elegit in dilecto Filio Iesu Christo (quem pro illis tradidit) fideles homines? Scine nobis commendat Scriptura immensam planè Dei erga nos misericordiā, adeoque מעוררתי מעוררתי frementem veluti viscerum & commiserationum eius turbam Esa. 63. 15. quæque nobis passim in Psalmis inculcatur רב רחמיך סπλάγχχνον πλῆθος, ἢ μέγας, commiserationum eius multitudo?

XXXII. Estō sanè multum, atque aded ab immenso amore sit, quod æternam, cuius nullus est finis, pœnam Deus condonat, at potest ne cum immenso & inexplicabili illo amore, quem tantopere Scriptura nobis commendat, stare, tam durum, tamque diuturnum, cruciatum exigere, idque nullo alio fine quàm ut sic iustitiæ ipsius inexorabili, pro peccatis plenè, ac pro eorum merito, ex iustitiæ rigore, satisfiat? Nam ex eorum sententia, animæ in Purgatorio, pœnis illis quibus exercentur, non emendantur aut meliores fiunt, nec quidquam merentur, aut verò gradum ullum gloriæ vel felicitatis maiorem eo consequuntur, quia tempus illud non est (inquiunt) pœnitendi vel merendi, sed satisfaciendi duntaxat. Itaque eo igne non mundantur, nec purgantur, (eisi purgatorium vocent) sed tantum debitum solvunt, & soluendo satisfaciunt.

XXXIII. Vnde consequens est, Animas illas nullas debere Deo gratias, pro illis peccatis, quorum sic plenam exigit ab ipsis pœnam (id quod certe cum sincero pietatis erga Deum affectu, & vero amoris motu, consistere non potest) gratias duntaxat Deo debemus quod æternā tantum, non verò quod omnè, dimittat, imò verò quod æternam duntaxat in temporalem commutet pœnam. Hoc verò est infinita Dei bonitati multum detrahere, beneficiumque eius, quantum in nobis est, imminutum ire. Ingrati animi est nolle totum æs nostrum à Deo in solidum remitti atque dispungi, velle partem ipsius non exiguam per nosmetipsos exsoluere, similes hac in parte seruo illi nequam, de quo Christus in Euangelio, qui postulabat ab hero tempus sibi dari, sicque se debitum exolutorum spondebat.

XXXIV. Nec est quod nobis obijciant, Deum pios, quos amat, nihilominus sæpè in hac vita, ob ipsorum peccata, punire. Non enim sunt piorum afflictiones pœnæ propriè dictæ à Iudice irato, ut legi satisfiat, infligat, sed sunt paternæ & viles castigationes, ad nostri correctionem atque emendationem, non ad exigendam à nobis satisfactionem.

XXXV. Præterea, sint mortalia, sint venialia, eo quo volunt modo, peccata

annon ab omnibus omnino purgat nos Christi sanguis pro nobis fusus, docente Apostolo. 1. Ioh. cap. 1. v. 7. τὸ αἷμα τοῦ χριστοῦ καθάρσει ἡμᾶς ἀπὸ πάντων ἀμαρτιῶν. Nostrium ne est beneficium illud coarctare, atque ubi Deus non excipit, velle aliquid excipere? Si Christus non dispunxit totum nostrum debitum, id factum est vel quia non potuit, vel quia non voluit totum dissolvere. Illud impium & blasphemum est, Christique infinito merito repugnat. Istud iniurium est aduersus summam eius Bonitatem. Cur enim noluit, si modò potuit, quando summè est misericors?

XXXVI. An quia id repugnabat Dei vel iustitiæ, vel sapientiæ? nam certè Bonitati & Misericordiæ minimè repugnat, imò vel maximè eam commendat. At cur iustitiæ repugnaret, quando Christi meritum abundè sufficit vt eo omnia peccata expientur? Sapientiæ verò cur repugnaret, cùm ea sic maximè illustretur, quando per Christi satisfactionem, & plenissimam omnium peccatorum remissionem, datur locus demonstrandæ summæ atque infinitæ Dei tum iustitiæ, tum misericordiæ, via & ratione planè admirabili?

XXXVII. Verùm vnde nobis probabunt suam illam peccati in *Mortale* & *Veniale* distinctionem? Nam alia quidem esse quorum venia & remissio à Deo obtinetur, atque hoc respectu ea esse *Venialia* (cuiusmodi sunt omnia verè fidelium & pœnitentium peccata) alia verò esse quæ nunquam remittuntur, sed in æternum puniuntur (qualia sunt omnia omnium impœnitentium & reprobatorum peccata) nos vltro damus atque concedimus.

XXXVIII. Alia item esse alijs longè graviora, ac propterea grauius multò plectenda (quæ non repugnamus, docendi gratiâ, dici *Mortalia*, quia cùm sensu veræ sanctitatis & spiritualis consolationis, consistere non possunt) vltro libenter agnoscimus, & seriò inculcamus, Christo docente, *Tyrios & Sidonios, in vltima die tolerabilius habitum iri, quàm Chorazin & Bethsaida.* At esse quædam peccata quæ vel non mortem, sed veniam mereantur, vel quibus levis & brevis duntaxat, non pœpetua & æterna, ex ordine iustitiæ Diuinæ, pœna debeat, hoc verò est quod verbo Dei, atque aded rectæ rationi, contrarium, & dissenaneum esse putamus.

XXXIX. Nam, 1. Quod meretur veniam, id peccatum esse non potest, quod enim meretur veniam, pœnam non meretur, nam venia est pœnæ dimissio atque relaxatio, itaque quod meretur veniam, meretur non puniri, siue, non meretur puniri: mereri autem & non mereri pœnam sunt opposita, atque aded *antilegalia*. Persona itaque fortasse dici potest mereri veniam alicuius leuioris delicti (non coram Deo, sed coram hominibus) propter magnum aliquod eius *κατ' ἰσθμιν*, vel propter Personæ suæ dignitatem atque præstantiam, at delictum ipsum, qualecunque sit, dici non potest (nisi absurdè) mereri veniam, sic enim peccatum non esset, omne enim peccatum eo ipso quod peccatum est, meretur aliquam pœnam, reatus nempe, qui peccatum necessariò consequitur, nihil aliud est quàm obligatio ad pœnam.

X L. Deinde, peccata illa quæ ipsi vocant *Venialia*, vel sunt lege Dei prohibita, vel non sunt prohibita. Si non sunt prohibita, peccata non sunt, nam *sine lege non est, neque imputatur, peccatum.* Rom. 4. 15. & 5. 13. Si sunt prohibita, subiacent isti legis sanctioni, *Maledictus quisquis non persenerat in omnibus quæ sunt scripta in hoc libro Legis.* Non dicit in quibusdam, sed in omnibus. Ergo vel minima peccata merentur maledictionem. An verò maledictio illa, quam lex transgressoribus intonat, levis est & brevis aliqua pœna? Quis ausit dicere? quis definire, quis circumscribere, quanta illa sit, & quo vsque se extendat?

X L I. Præterea, potest ne, vel in minimo, à nobis Lex violari (in tanta Dei &

nostri inæqualitate & infinita disparitate) sine summo Dei Legislatoris neglectu atque contemptu, qui tanto maior est & inexcusabilior, quanto leuior, & factu facilior est res vel imperata quam omisimus, vel prohibita quam commisimus. Quid leuius, & penè nullius momenti, videri posset, quàm pomum degustare? At quia illud fuerat à Deo Adamo interdictum, quanto illud fuit factu facilius, quanto res illa in se fuit leuior & vilior, tanto fuit in Adamo maior Dei prohibentis contemptus, tanto intolerabilior culpa, tanto grauior, in quam incurrit, pœna.

XLII. Decet nos terræ vermiculos, Dei summi Legislatoris (officium nostrum nobis in Lege præscribentis) infinitam Maiestatem semper ob oculos habere, & præsentem cogitare, quod si à nobis non fit, vel si nihilominus Legem eius violamus, eo ipso prodimus intolerabilem Dei neglectum atque contemptum, & infinitum in nos accersimus reatum, quomodo Adam in transgressione interdicti de arbore scientiæ boni & mali: proindeque nos, vnà cum ipso, reos nos constituimus consimilis vt culpæ, sic & pœnæ.

XLIII. Rursus, peccato veniali Deus vel offenditur, vel non offenditur. Si non offenditur non est peccatum, Deus enim, qui summa, adeoque ipsa est iustitia, non potest non offendi peccato. Cum itaque Dei Maiestas, præstantia & *ὑπεροχή*, sit prorsus infinita, nos verò miseri homunciones, atque vermiculi, fieri non potest vt infinita Creatoris maiestas offendatur à tam abiectis creaturis, quin pœna offensæ illi debita sit respectu durationis infinita, seu nunquam finienda, quamuis respectu intensiōis, seu grauitatis, non sit summa seu infinita: Id quod ante demonstratum est disputatione de Christo Mediatore, Thef. 12. &, de Passionibus Christi, Thef. 6.

XLIV. Denique, qui peccat, eo ipso conijcit se in necessitatem perpetuò peccandi, nam peccato suo avertit se à Deo quem offendit, & cuius gratiâ atque fauore peccando excidit: itaque deinceps non potest ex se, & per se, proprijs viribus ad Deum se conuertere, & à peccato abstinere, ad hoc enim opus est illi singulari & potentissima Dei gratiâ, & auxilio, quam Deus non tenetur illi subministrare, cum sit liberrimus, & præterea ab eo offensus. Homo itaque post peccatum sibi relictus perpetuò peccat, & perpetuò peccando meretur etiam plecti perpetuò, atque ita peccato suo, quodcunque illud sit, mediâtè saltem, reatum in se accersit infinitum.

XLV. Ad commutationem autem, quam fieri volunt, æternæ peccatorum mortalium pœnæ in temporalem quod attinet, vnde eam nobis ex Scriptura probabunt? quæ vbique prædicat plenissimam eorum factam in Christi sanguine expiationem, concessamque nobis à Deo, per fidem, veniam atque remissionem. Si hæc remissio nihil aliud est quàm relaxatio durationis perpetuæ, & commutatio æternæ pœnæ in temporalem, manente interim eodem supplicii genere, cum potuerit totam pœnam, propter meritum expiationis & satisfactionis à Christo præstitæ, remittere, planum est Deum cum hominibus non alio animo sic agere, quàm quia delectatur hominum supplicio & cruciatu, quod est longè ab eius ingenio alienum.

XLVI. Quod autem aiunt Deum culpam quidem peccatorum remittere ob Christi meritum, at pœnam retinere, hæc vel in Purgatorio luendam, vel idem volunt cum eo quod modò dixerunt, Deum æternam peccatorum pœnam commutare in temporalem, vel aliquid aliud volunt. Si prius illud volunt, vti id videtur Bellarminus significare (de Purgatorio lib. 1. cap. 10. §. 3.) his verbis, *pœna æterna commutatur in temporalem quando remittitur culpa*, fucum hominibus faciunt, quasi

nouum aliquid afferrent. Si aliud volunt, quid est, quæso, culpam remittere re-
tentâ pœnâ?

XLVII. Duo sunt in peccato. 1. Macula, seu labe, non physica quidem illa, sed moralis, in *amicitia* & deformitate quadam, aduersus Dei Legem, posita. 2. Reatus, seu obligatio ad pœnam. Itaque per *Culpam* Pontificij intelligunt vel *Maculam*, vel *Reatum*. Si *Maculam*, improprie loquuntur, non enim remittitur, seu condonatur macula peccati, sed tollitur atque eluitur, idque per sanctificationem, siue actionem Spiritus Christi nos regenerantis, nosque, vi & efficacîâ suâ, ab inherente peccati forde, atque labe purgantis.

XLVIII. Macula autem illa per Sanctificationem non tollitur nisi præcedente per sufficientem pœnam satisfactione, necesse est enim Deum nobis esse propitium priusquam nos Spiritu suo sanctificante donet. Satisfactio illa à Christo solo, qui est pax nostra, est præstita. Itaque, tantum abest vt post culpam sic remissam Deus pœnam retineat à nobis luendam, vt contra priusquam culpam sic nobis remittat, (hoc est, nos sanctificet) necesse sit eum nobis esse placatum per plenissimam Filij sui Domini nostri Iesu Christi satisfactionem: placatus autem & reconciliatus, ab eo cui placatus est, pœnam non reposcit, aut retinet.

XLIX. Quare frustra est Bellarminus, loco modò laudato, quum ait, *Pœna aeterna commutatur in temporalem, quum remittitur culpa, quia cum remittitur culpa, redditur amicitia, & datur consequenter ius ad gloriam, proinde non debet puniri in aeternum, quia eo modo ad gloriam non perueniret & tamen iustitia exigit vt peccatum puniatur aliquomodo, ideo mutatur pœna aeterna in temporalem*. Nam redditur sanè amicitia priusquam culpa remittatur per sanctificationem, hoc est Deus nobis fit per Christum propitius, reditque nobiscum in gratiam, priusquam nos sanctificet (non verò reconciliatur propter sanctitatem nostram) atque ex consequenti reconciliationis nostræ datur nobis ius ad gloriam, ac proinde non modò non debemus puniri in aeternum, sed ne quidem omnino punimur ad satisfaciendum Deo, quia nimirum per Christi passionem satisfactum est illi, atque ita peruenimus ad gloriam, non per nostram, sed per Christi merita. Quod autem iustitia exigit vt peccatum puniatur, verissimum sanè est, sed id plenissimè in Christi persona factum est, ideoque necesse non est mutari in nobis pœnam aeternam in temporalem, quia peccatum nostrum in Christo plenissime expiatum est.

L. Si per *Culpam* reatum intelligunt, cum Reatus aliud nihil sit quàm obligatio ad ferendam pœnam peccato debitam, *Culpam* remittere nihil aliud erit quàm obligationem illam tollere, abolere, hoc verò est remittere pœnam, nolle punire, immunem & liberum à pœna declarare. Potestne itaque Deus, remissâ hoc modò culpâ, pœnam tamen retinere? hoc verò esset idem simul affirmare & negare, ac pugnantia dicere.

LI. Aliud est Purgatorij firmamentum, quo non omnes eius Aduocati, sed quo primi saltem eius authores (Plato nimirum, & similes Ethnici Philosophi adeoque & nonnulli eorum hac in parte sequaces veteres Patres) niti illud voluerunt. Aiunt nimirum, Animabus ex peccandi in hac vita consuetudine inuri veluti atque imprimi fœdas nescio quas notas atque maculas, quas vnâ cum corpore in morte non deponunt, quæque propterea ignis istius Purgatorij vi detergi atque aboleri opus habent, priusquam in beatas sedes concedant, vbi nihil impurum, atque immundum, locum habere potest.

LII. Sed maculæ istæ vel sunt Fomes peccati, seu praua & *Maxlos* concupiscentia,

quæ nobis inest ab ipsa natiuitate, vel sunt mali & vitiosi habitus in animæ potentiis atque facultatibus, frequentibus actionibus comparati atque confirmati, vel aliquid aliud quod est merè Phisicum. Si prius, nihil est (ex ipsius Bellarmini sententia) opus igne Purgatorio ad abolendū illum peccati fomité, qui (inquit) tollitur in morte, quia tum sensualitas exstinguitur, sed non propter fomitem Purgatorium constituitur, aliqui pueri baptizati morientes deberent Purgatorias pœnas pati, cum Baptismus non abstulerit illis fomitem. Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 9 §. 6.


LIII. Si sunt vitiosi habitus, neque (eodem Bellarm. ibidem recte) necesse est illos igne isto Purgatorio tolli, Nec propter eiusmodi habitus constituimus (inquit ille) Purgatorium, aliqui sequeretur adultos, qui post multos malos habitus contractos baptizantur, & statim moriuntur, vel pro Christo occiduntur, non posse saluari nisi per Purgatorium, quia nec Baptismus, nec Martyrium, dissoluit eiusmodi habitus. Deinde, negat idem alibi animas in Purgatorio meliores fieri, atque emendari, quia illic non peccant, sed satisfaciunt pro peccato, nec pœnitentiâ ducuntur de peccatis, non est enim tum pœnitendi, sed satisfaciendi tempus. Itaque ex eius mente Purgatorium necessarium non est nisi propter reatum & peccata venialia, quæ duo à nobis modò sunt confutata.

LIV. Porrò siue notæ & scdæ illæ maculæ sint peccati fomes, nobisque inhærens à natiuitate concupiscentia praua, siue sint mali & vitiosi habitus inde postmodum enati, Scriptura nos docet ista longè aliter quàm commentitio isto igne purgari, elui, abstergi, & emundari, contrariumque illis sanctitatis habitum nobis ingenerari, nimirum vi & efficacîâ Spiritus Christi nobis donati, in nobis habitantis, fidem ingenerantis, atque per fidem nos regenerantis, fide enim purificantur corda. Act. 15. 9. Fides autem Dei donum est (Eph. 2. 6.) & Spiritus Sancti virtute in nobis accenditur.

LV. Si maculæ illæ nec sunt peccati fomes, neque vitiosi ex eo emanantes habitus, quid erunt? Non sunt ipsa animæ essentia atque substantia, non sunt ipsius Potentiæ, atque Facultates, non sunt denique prauæ à vitiosis habitibus dimanantes actiones, nam actio peccati est quid transiens & quasi momentaneum, at maculæ istæ censentur diu manere, atque animæ ipsi inhærere. Quid ergo sunt maculæ istæ? An aliquid merè phisicum, vt sunt Notæ & stigmata in corpore, nam & hoc simili vtuntur ad mentem suam de maculis istis explicandam. Verùm, potestne quid merè phisicum nos à Dei præsentia & gratioso aspectu submouere, clamante ipso per Esaiam cap. 21. v. 2. Annon iniquitates vestre separationem posuerunt inter vos & Deum vestrum, &c. Quod si peccatum sunt, potestne aliquid merè phisicum esse peccatum? Sic Deus naturæ author, idem esset peccati illius (quod nos à Dei conspectu submouet) causa, quod blasphemum est.

LVI. Quare cum neque ad Sanctificationem & emendationem nostram valeat Purgatorium Pontificium, neque ad Satisfaciendum iustitiæ diuinæ (quod à Christo loco & vice nostra plenissimè factum est) quidquam faciat fatuus iste Ignis, valeat, & longè ab Ecclesia Dei eliminetur, peruersum istud hominum desidiosorum commentum, Christi merito, Dei Gratiæ & summæ Bonitati planè iniurium, superstitionis vanissimæ fomes & ignitabulum, Christo verò, cuius sanguis verum est & vnicum nostrum Purgatorium, vnâ cum Patre, & Spiritu Sancto, vni vero Deo, sit honos, laus, & gloria in sæcula sæculorum. A M E N.

FINIS.



Non sunt post hanc vitam nisi duo animarum receptacula, duo distincti status.

August. Hypognosticon lib. 5.

Primum locum fides Catholicorum diuina auctoritate regnum credit esse cœlorum. Secundum, gehenna, ubi omnis apostata, vel à Christi fide alienus, aeterna supplicia experitur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis inuenimus.

Idem de peccat. meritis & remiss. contra Pelag. lib. 1. cap. 28.

Nec est ullus medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, &c. definitiuam protulit, ad hæc ora obstruenda, sententiam, ubi ait. &c. Hæc quidem dicuntur aduersus Pelagianos, qui parvulis non baptizatis, & innocentibus, (hoc est peccato originali, quod ipsi negabant, non infectis,) tertium quendam quietis locum assignabant, valent nihilominus eadem aduersus Purgatorium Pontificiorum, qui volunt in eo pios luere pœnas peccatorum sanguine Christi non expiatorum, pro quibus ipsis satisfaciendum esse censent.

Idem, De Ciuitate. Dei, lib. 13. cap. 8.

In requie sunt animæ piorum à corpore separata, impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad aeternam vitam, illarum verò ad aeternam mortem, qua secunda dicitur, corpora reuiuiscant.

Idem, De vanitate sæculi. Iusti anima cum separatur à corpore, non timet, nec expauescit, sed magis eum magno gaudio egreditur, & cum exultatione pergit ad Deum, deducuntibus eum sanctis Angelis. Item, Scitote quod cum anima à corpore auellitur, statim aut in Paradiso pro meritis bonis collocatur, aut certè pro peccatis in inferni tartara præcipitatur.

Nota statim, non ergo (ut volunt Pontificij) post multa demum in Purgatorio exacta sæcula. Neque hæc de solis Martyribus dicuntur, non enim soli Martyres iusti sunt, sed quotquot in Christi sanguine iustificantur.

Iustinus in Quæst. & Respons. ad Orthod. Quæst. 75.

Post exitum à corpore statim fit iustorum & iniustorum separatio, ducuntur enim ab Angelis in locos ipsis dignos, iustorum nempe anima in Paradisum, ubi cum Angelis & Archangelis versantur & Christum Seruatorem vident, iuxta illud, Migrantes à corpore habitamus apud Dominum, iniustorum verò anima in ea quæ apud inferos sunt loca.

Nullus est post hanc vitam pœnitentie, nullus satisfactioni locus.

Cypr. ad Demetrianum. Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentie locus, nullus satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur aut tenetur, hic salutem aeternam cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Et mox Tu sub ipso licet exitu, & vita temporalis occasu, pro delictis roges & Deum, qui vnus & verus est, confessione & fide agnitionis eius implores, venia confitenti datur & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.

Aduersus spectrorum vel animarum apparitiones, & earum de futura vite statu reuelationes. August. de Vnitate Eccles. cap. 16.

Sic ostendat ut non dicat, verum est quia ille frater noster, aut illa soror nostra, tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portentosa fallacium spirituum, aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hereticorum mira aliqua facta sunt, magis cauere debemus &c.

Hæc aduersus Donatistas dicta, qui reuelationes iactabant, valent etiam aduersus Pontificios qui pro Purgatorio stabiliendo similes obtrudunt reuelationes.

Chrysostom. Homil. 29. in Matth.

Quod immolatorum puerorum anima sint cum ipsis, (nempe Magis & Incantatoribus de quibus loquitur,) unde nosti, dic quæso? Ipsi, inquit, arrepti clamant, Anima istius ego sum. Verum & hoc ipsum drama quoddam est & deceptio Diaboli, ἡ γὰρ ἡ ψυχὴ τῷ πτελεῖται καὶ ἐστὶν ἡ βοῶσα, ἀλλ' ὁ δαίμων ὁ πονηρὸς τῶν αἰνῶν, ὁ δὲ ἀπατῶν τὸν ἀνθρώπου, hoc est. Non enim est anima de mortui cuiusquam quæ sic clamat, sed ipse Daemon, qui fingit ista, ut auditores decipiat.

Mox ibidem multis probat Chrysost. ex Scripturis, neque piorum, neque impiorum, animas post mortem huc ad nos redire, atque his in terris versari aut oberrare.

FINIS.

THESES



THESES THEOLOGICÆ DE PURGATORIO;

DISPUTATIO ALTERA.

Qua ostenditur Purgatorium repugnare S. Scripturæ & Fidei analogiæ.

Præside D. LVD. CAPPELLO.

Respondente IOANNE. FREHERO, Norinbergenfi.

THESIS PRIMA.



OGMA quodlibet duplici nomine, tanquam à fide alienum, reijci debet, si nempe vel nullo Scripturæ testimonio nititur, vel si illi repugnat atque aduersatur. Nam vt aliquid pro fidei articulo non recipiatur, satis est si nullo Scripturæ testimonio probari possit. Fides enim est ab autoritate diuina, de diuina autem autoritate certò nobis iam constare non potest, quàm ex scriptis *ἱερογραφοῖς*. Traditiones nempe quæ vulgò de salutari doctrina iactantur, aliud nihil sunt quàm mera hominum commenta, cur enim Deus quidquid ad salutem est necessarium verbo suo scripto non tradidisset, qui tot alia minus necessaria tam accuratè scripto illo suo sacro consignauit?

I. Purgatorium autem Pontificium nullo niti Sacræ Scripturæ testimonio atque fundamento, superiore Disputatione abundè ostensum est, excussis atque vindicatis illis Scripturæ locis quæ in eius patrocinium ab illius Aduocatis adferri solent. Neque enim illis, aut vllis alijs ostendi potest, vel fidelium defunctorum animas igno aliquo materiali excruciarì, vel hominibus post mortem superesse poenitendi locum, aut veniæ, seu remissionis peccatorum spem vllam, vel, eorum peccata post mortem supplicio aliquo expiari, aut animæ maculas ignea vi tolli, deleri, mundari, atque expurgari, vel denique, precibus aut bonis vllis viuientium operibus mortuos à cruciatu & supplicio quo torquentur liberari. Quæ omnia quia Pontificij in Scriptura inuenire non possunt, ad somnia, visiones, spectra, animarum apparitiones, aliaque eiusmodi innumera confugiunt, ex quibus, si credere fas est, mirabiles de statu mortuorum, deque Purgatorio suo, hauserunt reuelationes.

III. Porro non modò nullo Scripturæ testimonio nititur Purgatorium, verùm etiam illi & fidei analogiæ apertè repugnat. Nam primò, cruciatus ille animarum commentitius stare non potest cum illis Scripturæ locis, quibus pij morientes dicuntur *quiescere, esse in pace, esse beati, frui solatio*. Gen. 15. 15. Abrahamo Deus sic loquitur, *Tu autem abibis ad Patres tuos (hoc est morieris) in pace*. Idem Deus Iosifæ pio Regi pollicetur 2. Reg. 22. 20. Esaïæ autem cap. 57. 2. *יָדִיק יָבֵא שָׁלוֹם iustus venit, vel ingreditur (hoc est, moritur) in pace, יָרְחוּ quiescunt in cubilibus suis, unusquisque qui incedit rectè*. Luc. 2. S. meon, conspecto & agnito Christo, gaudet his verbis, *Nunc dimittis, Domine, seruum tuum in pace*. Apoc. 14. 13. *Beati dicuntur qui moriuntur & deinceps in Domino, qui a requiescunt à suis laboribus*. Denique Christo teste, *Lazarus*

H

moriens ab Angelis defertur in sinum Abraha, ubi requiescit, & ἀπαύξει, consolationē fruitur. Luc. 16. 22. 25.

IV. Quid ad hæc excepturi sunt Pontificij? An hoc, quod *mori in pace* sit mori non violenta, sed naturali & placida morte, nullis doloribus, nullis morbis, nullis angoribus conturbata? Esto, an propterea *in pace mori* censendus est, qui mox post mortem tam diris flammis venit excarnificandus? An mors quam tantus excipit cruciatus quæta & placida dicenda est? An à Deo pijs tanquam solatium promitti potest, aut ab ijs expecti, quomodo eam Simeon expetit & exspectat? Annon satius illis fuisset per multa hinc sæcula quibuscumque confictari doloribus & angoribus quàm vel ad horulam sæuissimis Purgatorij flammis torqueri?

V. An dicent veteres illos Patres non in Purgatorium, sed in Limbum concessisse, ubi nullus cruciatus, nulla sensus pœna, sed solummodò damni? sed sic deterior foret Christianorum sub Euangelio, quàm Iudæorum sub lege, post mortem conditio. An dicent eos fuisse homines eximie & singularis cuiusdam pietatis, qui opus non habuerint expurgari flammis Purgatorij? Sanè, at non fuerunt tamen sine omni omnino peccato, veniali saltem (pro quo, ex ipsorum sententia satisfaciendum est in Purgatorio) si non etiam mortali. Vel, an tanta fuit eorum in hac vita pœnitentia, ut abundè hinc in terris pro omnibus suis peccatis Deo satisfecerint? At quid vetat ut de reliquis omnibus verè fidelibus idem ex eorum sententia dici possit? unde enim probabunt maiorem fuisse illorum quàm reliquorum fidelium pœnitentiam?

VI. Deinde, quid singulare fuit in Lazaro cur eodem quo Abraham frueretur privilegio? An volunt omnes illi similes hodie mendicos, si moriantur in fide Christi, præterueto, & à longè duntaxat salutato Purgatorio, rectè à in cœlum ferri, in sinum Abrahamæ recipi, illicque placidè requiescere & ἀπαύξει frui solatio? Si istud dicant, cur non idem omnibus verè fidelibus pari iure concesserint?

VII. An quies illa, qua Esaias dicit quoscumque iustos frui in cubilibus suis, potest esse cruciatus Purgatorij? sic nemo opinor vellet quiescere. Sed sic quiescerent non eximie iusti modo, verum omnes ferme homines, etiam pessimi quique, exceptis modò reprobis & impijs.

VIII. Denique ad locum Apocalypsis quid dicturi sunt? An solos Martyres dici isthic à Ioanne *mori in Domino*? At illic de Martyribus propriè non agitur, sed de illis in genere qui *mētē servant fidem Christi*; quique (ut veteres Patres loqui amant) *decedunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis*. Tum aliud est *mori pro Domino* vel *propter Dominum*, aliud *in Domino*, illud proprium est Martyrum, istud omnium fidelium commune. Si de solis Martyribus sermo isthic esset, non dicendi fuerant simpliciter *Beati*, sed eximie & singulariter supra reliquos fideles beati, alioqui frigida & diluta esset oratio illa qua illis tribuitur beatitudo quæ omnium fidelium cōmunis est.

IX. Si de omnibus isthic sermo est fidelibus, an ideo beati à Ioanne prædicantur quia post aliquot sæculorum, vel annorum, in Purgatorio dira tormenta, quibus illic satisfaciendum est, tandem aliquando cœlo recipientur? Sanè id quidem optabilius est quàm in æternum sine fine in Gehenna torqueri, at nullibi nobis in Scriptura commendatur eiusmodi beatitudo, quæ tam caro constat, neque sic Dei infinita in nos clementia & beatitudo in sacra pagina celebratur, quin ipse author Sapientiæ Salomonis, dicit *animas iustorum esse in manu Domini, nec V L L V M tormentum eas tangere* cap. 2. versu. 1.

X. Denique, si (uti volunt nonnulli Pontificij) voculà ἀπαύξει deinceps opponitur isthic à Ioanne status Christianorum post mortem sub Euangelio, statui Iudæ-

orum sub Lege, cum vtrisque, ex eorum sententia, commune sit gloriâ ad tempus destitui, eamque expectare, illis quidem in Limbo, istis verò in Purgatorio, non video quâ possint isti præ illis dici beati, cum satius sit in Limbo quiescere, quam tam diu in Purgatorio exquisitissimè torqueri.

XI. Secundò pugnat Purgatorium cum omnibus illis Scripturæ locis (quæ innu-mera sunt) quibus vera iustificationis nostræ ratio nobis proponitur, quæ tota est in gratuita peccatorum omnium venia atque remissione, quorum pœnam Deus in vadem nostrum Iesum Christum transtulit, ab eo, loco nostro, ferendam, ut eâ eximeremur, sicque pacem cum eo haberemus, eique reconciliaremur. *Percussus est enim Christus propter iniquitates nostras, & attritus propter peccata nostra, correctio pacis nostra imposita est illi, & vibice eius sanati sumus.* Esaia 53. 5.

XII. An totam peccatorum nostrorum pœnam Deus in Christum deriuauit, ut eâ non totâ, sed parte duntaxat eius, nos liberaret? Repugnat Ioannes, *Sanguis Christi purgat nos ab OMNI peccato, & Fidelis est & iustus Deus ut peccata nostra nobis condonet, & purget nos ab OMNI iniquitate.* 1. Cath. 1. 7. 9. Repugnat David, Psal. 103. 3. *qui condonat OMNES iniquitates tuas, sanat OMNES infirmitates tuas.* Si OMNES, non ergo aliquas duntaxat, mortalia puta (vitea vocant (peccata. Et sanè cur dimissis mortalibus, venialia, si quæ essent, retineret? an qui decem mille talenta remittit, quingentos denarios nollet dimittere? Quæ esset hæc illiberalitas?

XIII. Tum, quâ stare potest hæc de retentis venialibus peccatis sententia, cum eo quod ait Christus, Marc. 3. 28. *omnia & quælibet tæ & quælibet, omne genus peccatorum remittetur filijs hominum?* Annon enim peccata venialia (si quæ sunt) species quædam sunt peccatorum? Si ex illa specie quædam remittuntur, cur hæc potius quàm illa? imò cur non omnia? quæ enim ratio potest esse discriminis?

XIV. Iustificatio nostra tota est in remissione peccatorum, docente Apostolo Rom. 4. 6. 7. nam vbi dixit, *Beatum esse illum hominem cui Deus imputat iustitiam* (hoc est quem iustificat) *sine operibus*, probat illud Davidis verbis, *Beati quorum dimisse sunt iniquitates, & recta sunt peccata.* Et idem, quum Act. 13. 38. dixisset, *Notum sit vobis fratres, quod per eum (nempe Christum) annuntiatur vobis remissio peccatorum, illud sequenti versu explicat, & exprimit alijs verbis, per eum quisquis credit iustificatur, nã ab ijs omnibus (inquit) à quibus non potuistis per Legem iustificari per eum quisquis credit iustificatur.* Iam verò per Mosis legem non modo à mortalibus peccatis, sed à venialibus etiam non potuimus iustificari, hoc est, veniam eorū impetrare. Ergo per Christi fidem non mortalium modò, verum etiam venialium obtinemus veniam & remissionem peccatorum. Ea autè remitti seu condonari dici non possunt, quorum pœnam ex iustitia debitam Deus hîc, vel in Purgatorio, à nobis exigit soluendam.

XV. Rursus, ab omni Legis *κατάρα* per Christum, qui factus est pro nobis *κατάρα* eximimur docente Apostolo, Gal. 3. 13. *Christus nos redemit ab execratione Legis factus pro nobis execratio.* Atqui pœna peccatis venialibus debita pars est execrationis illius quam Lex his verbis intonat, *Maledictus qui non perstiterit in omnibus quæ scripta sunt in hoc libro Legis*, alioqui peccata venialia non essent Lege Dei prohibita, nec pœnam mererentur, proindeque nec peccata essent. Ergo & ab illa pœna Christus, factus pro nobis maledictio, nos redemit, non restat itaque illa nobis exsoluenda.

XVI. Quum Christus Paralytico dixit, *Confide, fili peccata tua tibi sunt remissa*, Matth. 9. 2. An mortalia tantum, an verò etiam venialia dimisit? Si mortalia tantum, non etiam venialia, cur sanauit? An ægrotabat propter mortalia tantum, non etiam propter venialia peccata? hoc est, An venialia morbum illum non merebantur? Quis

aussit dicere? Cùm ergo sanatio signum & argumentum fuerit illi dimissorum peccatorum, certè non mortalia tantum, verùm etiam venialia fuerunt ei dimissa. Fuit autem ille Paralyticus specimè & exemplum cuiuslibet per Christi fidem iustificandi. Quicumque ergo per fidem in Christum iustificatur, ei omnia peccata dimittuntur, nulla igitur retinentur.

XVII. Christus passim dicit, quod qui in ipsum credit non morietur, non videbit mortem, non veniet in iudicium, sed à morte μεταβέβηκε translatus est ad vitam, aliaque eiusmodi multa. Verùm, an qui concedit in Purgatorium, is à morte transfertur ad vitam? annon venit in iudicium? Etsi enim Purgatorium non sit *χρίσις διωγὸς καὶ λόσσεως*, iudicium supplicij aeterni, est nihilominus Iudicium, & quidem horrendum, tremendum, si quidem à Dei, & quidem irati, iustitia est, de quo quilibet fidelis Deo meritò, Davidis verbis, supplicare possit, *Ne intres Domine, cum seruo tuo in iudicium*, Psal. 143. 2.

XVIII. Quod Apostolus 2. Cor. 5. 1. ait *Nos à Deo habere ædificium, domum non manu factam, sed aeternam in cælis*, *ἡμεῖς ὅτι οὐρανόθεν οἰκοδομητοὶ ἐσμεν*, si, hoc est, cùm terrestris domus huius tabernaculi dissoluta fuerit: Nosque adedò in corpore suspirare, domicilio nostro quod è cælo est, superindui vehementer expetentes, quodque dicit vers. 8. *Nos confidere, magisque velle emigrare ex hoc corpore, & migrare ad Dominum*, non potest benè cum doctrina de Purgatorio stare. Non enim de se tantum vel de Apostolis solis, sed de omnibus in genere fidelibus, loquitur eo loco Paulus, qui hoc corporeo grauati tabernaculo suspirant, & adspirant ad cæleste ipsis paratum domicilium.

XIX. Iam verò qui cum Pontificijs credit sibi post mortem in Purgatorio per multos annos esse hærendum, non sic vehementer cupit è corpore hoc emigrare, mallet in corpore manere, atque hîc pœnitentiam suam potius quàm in sæculissimo illo igne peragere. Nec emigrando è corpore confidit se ad Dominum migrare, quomodo Apostolus illic loquitur, *ἠγαπᾶμεν ὃ ἐνδοκίμοις μάλλον*, *confidimus & volumus magis* (hoc est, confidenter optamus) *emigrare ex hoc corpore, & migrare ad Dominum*. Certè non est dulce hoc animæ piæ solatium credere, dissoluto hoc corporeo tabernaculo, domicilium nostrum cæleste nos non manere nisi post actos in igne illo καὶ ἀρχὴν tam diro, permultos annos, imò & sæcula fortè multa, ad finem vsque puta mundi, neque enim est Pontificiorum quisquam qui aussit de finire quandiu cuique in Purgatorio sit hærendum.

XX. Quod item Apostolus 2. Tim. 4. 6. 7. 8. *Tempus resolutionis* (hoc est mortis) *meæ instat, bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, quod superest reposita mihi est corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex*, non benè conuenit cum doctrina de Purgatorio. Nam etsi coronam illam differat Apostolus in vltimam vsque iudicij diem, non tamem interim angitur, aut deiecto est & pauido animo (vti eos esse necesse est, qui persuasi sunt sibi mox ab obitu adeundum esse Purgatorium) quin gaudet potius & lætatur quod tempus resolutionis sue instat.

XXI. Neque verò sic loquitur Paulus quàm Martyr vel Apostolus (quibus hoc singulariter donatum esse volunt Pontificij, vt ne adeant Purgatorium) sed quàm fidelis qui *cursum absoluit suum, & fidem*, ad finem vsque, *seruaui*, quæ sunt omnibus fidelibus in obitu communia, quin & exertè dicit, *non sibi tantum seruari coronam illam, sed & omnibus qui diligunt Christi aduentum atque ἐκφύλακται*.

XXII. Præterea Scriptura innumeris in locis hominum, post hanc vitam, duos duntaxat status, duas condiciones, duo loca quibus recipiuntur agnoscit, *Vitam &*

Mortem, Benedictionem, & Maledictionem, Salutem & Damnationem, Lucem & Tenebras, Regnum seu Hereditatem Dei, & ab eo exclusionem, denique, Cælum, seu Paradisum & Infernum siue Gehennam. De duobus his locis & conditionibus hominum nemo Christianus dubitat. Purgatorium tertius & medius quidam stat us est, Scripturæ ignotus, qui ad neutrum illorum pertinere potest, aut sub eo comprehendi.

XXIII. Non ad *Gehennam, Mortem, Maledictionem, Damnationem, Tenebras exteriores*, quia ab istis nulla datur redemptio, à Purgatorio autem, post debitum satisfactionis tempus peractum, liberantur, si fas est illis credere, fidelium animæ.

XXIV. Non ad *Cælum vel Paradisum* pertinere potest. Nam Purgatorium, ex illorum sententia, in cælo non est, sed in terræ visceribus, ab proinde nec in *Luce*, sed in *Tenebris* potius, neque etiam *Paradisi* pars vlla est, nam in Paradiso quies est & solatium, gaudium & lætitia, in Purgatorio verò cruciatus atque tormentum ineffabile, dolor & angor animi inexplicabilis.

XXV. Neque ad *Vitam, Salutem, Benedictionem, Regnum & Hereditatem Dei* referri potest, aut sub illis comprehendi, quia hæc omnia sunt Cælo & Paradiso synonyma. Deinde, vita quam Scriptura pollicetur est beata, felix, grata, jucunda, æterna, at conditio animæ in Purgatorio est ingrata, dura, molesta, neque, vti volunt, perpetua.

XXVI. *Benedictio* autem quæ dici possit status ille, quis enim sic optet sibi benedici? etsi enim certus sit (vt illi volunt) qui illic est, de futura beatitudine, non tamen ea fruitur, sed grauissimè cruciatur. Itaque optabilis dici non potest status ille nisi comparatè ad *Gehennam*, vt quis nimirum illic esse malit, quàm in inferno, quod sanè dici non potest, nisi admodum improprie, *Benedictio*.

XXVII. *Hereditatem, Regnum, Salutem, Vitam* pollicetur Deus tanquam rem summopere optandam, at nemo optauerit puto, migrare atque concedere in Purgatorium, nisi quis, vti modò dictum, id velle dicatur quàm in Tartara præcipitari, quo non innuitur optabilis esse eorum qui in Purgatorio sunt conditio, sed paulo duntaxat minus misera quàm eorum qui Orco deputati sunt.

XXVIII. Sed etsi posset tertius & medius quidam ex Scriptura ostendi defunctorum, ad beatam vsque resurrectionem, locus atque status, is certè non esset commentitium Pontificiorum Purgatorium, qui est tormenti atque supplicij longè durissimè infandus carcer, sed esset potius ille notissimus in Evangelio Abrahamæ sinus, in quo Lazarus à Christo quiescere, & consolatione frui dicitur, qui medius locus ab omnibus ferme primitiua Ecclesiæ Patribus creditus & probatus fuit, quique ad cælum & Paradisum referri potest atque sub illis comprehendi. A quo longissimè distat Purgatorium Pontificium, vt hoc ex illo nullo pacto exculpi aut euinci possit.

XXIX. Denique, doctrina de Purgatorio mera est veræ & sinceræ, quam Scriptura docet, de Pœnitentia doctrinæ deprauatio. Pœnitentia תשובה Hebræis dicitur à שׁוּב quod *redire* significat, qua voce Scriptura pœnitentiam nostram designat, Pl. 7. 13. Jerem. 8. 9. 10. Deut. 5. 30. Pl. 110. 3. & alibi passim. Nempe à natura iam sumus à Deo auersi, corde & affectu ab eo abalienati, vt necesse sit nos ad Deum redire per veram pœnitentiam, quæ ideo אַפְרֵ תשובה, hoc est, *reditus* appellatur, quia nihil aliud est quàm *reditus* seu *conuersio* quædam cordis & affectuum ad Deum, quæ si vera est & sincera, fructus bonorum operum in nobis producit dignos pœnitentiæ.

XXX. At reditu seu conuersione ista non contenti Pontificij addi volunt Satisfactionem, & quidem quæ à nobis Deo fiat, qua iustitiæ ipsius satisfiat per pœnam peccati nostri demerito æqualem, de qua, deque alia eius vicaria, qua ab ista nos re-

dimi volunt per Sanctorum & Monachorum merita, & Supererogationis opera, vivorumque suffragia nobis imputata, peculiari agendum erit Disputatione sequenti.

XXXI. Porro Scriptura poenitentiam à nobis exigit in hac vita, non eam differt in futurum, nec vnquam hinc nimis sera, modò seria, vti nos docet exemplum latronis cum Christo in cruce pendentis, at post hanc vitam non amplius est tempestiva. Hoc nos docuit Christus parabolâ decem Virginum, quæ cum aduenissent clausâ portâ, non admittæ sunt in nuptialem thalamum, sed eiectæ in tenebras exteriores, Math. 25. 2. *ἡ δὲ ἐνὸς τῆς ἀλδὶς reconciliator citò cum Aduersario tuo, quamdiu es in via cum ipso, ne te tradat Iudici, &c.* Hoc ipsum vult author Ecclesiastici cap. 1. 8. verissimâ istâ sententiâ, *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Quibus repugnat doctrina de Purgatorio, volunt enim Pontificij, homines post hanc vitam agere in Purgatorio poenitentiam.

XXXII. Nec est quod excipiant, inchoandam quidem eam esse in hac vita, sed quæ perfici possit & debeat in futura, nam perfectionem istam poenitentia in vita futura Scriptura non agnoscit, quæ portam claudi docet post hanc vitam. Aduenit nempe Christus vnicuique homini in hora mortis, si offendit imparatos, hoc est impoenitentes, clauditur porta & excluduntur imparati, si paratos, admittuntur in thalamum. Estne verò Purgatorium thalamus ille in quo celebrantur Nuptiæ?

XXXIII. Quod si dicant duas esse Poenitentia partes *Contritionem* nempe seu cordis affectum, & *Satisfactionem*, illam requiri in hac vita, istam posse in futuram differri. Primùm, istud esset probandum ex Scriptura, quod ab eis non fit, nec fieri potest, cum tota nostra poenitentia sit, secundùm Scripturam, in reditu seu conuersione nostra ad Deum sincera; Satisfactionem à nobis ipsis Deus non reposcit, quam in vadem Christum transtulit. Deinde, si duæ essent istæ poenitentia partes, idonea ab ipsis dari non potest causa, cur vna potius quàm altera sit in futurum differenda. Et sanè ipsi non negabunt animas in Purgatorio constitutas verè de peccatis dolere, & non modò attritione verùm etiam contritione affici, vti solent ista distinguere.

XXXIV. Si verò dicant vtramque hinc esse inchoandam, illic verò perficiendam, quam causam dabunt idoneam cur non possit vtraque eò vsque differri, vt illic inchoetur vbi perficitur: & sanè causa nulla videtur esse cur non perficienda sit vbi inchoatur. Imo verò veræ poenitentia hoc est ingenium vt nunquam perfecta sit, non enim vnquam tantum quantum satis est dolemus de peccatis, modò serius sit & sincerus, atque ex vera charitate promanans, dolor ille, hoc Deo satis est, non enim vi & merito ipsius poenitentia, sed propter Christi vnigeniti meritum, remittuntur nobis ab eo peccata, & vitâ donamur æternâ.

XXXV. Tùm quæritur, An per veram cordis in hac vita contritionem habeamus mortalium duntaxat, an verò etiam venialium peccatorum remissionem? Nam si etiam venialium habemus, nihil opus est igne post hanc vitam Purgatorio. Si duntaxat mortalium, causam dicant cur pharmacum tam efficax vt eo deleantur mortalia, non possit etiam venialia, illis multò minora, delere, vel vt illi loqui amant, cur si per poenitentiam Christi meritum nobis applicatur quo condonantur mortalia, eadem non possit idem meritum nobis applicari ad venialium remissionem consequendam.

XXXVI. Denique, cum ipsi non negent animas in Purgatorio positas veram habere de peccatis admissis contritionem, quæritur cur per eam non consequantur, poenarum peccatis venialibus debitarum, remissionem, sed necesse sit eas poenam illam totam, quanta est ex ordine iustitiæ illis debita, ferre, pati atque exsoluere. Imò, cur eam po-

tius remitti velint propter viuorum suffragia, quàm propter propriam ipsarum contritionem, quæ certè Deo tam chara & grata, imo gratior & acceptior esse debet, ad pœnæ illius relaxationem, quàm aliorum opera.

F I N I S.

THESES THEOLOGICÆ
DE SATISFACTIONIBVS.

Præside D. MOSE AMYRALDO.

Respondente PETRO TVBERONE, Venobrensi.

T H E S I S P R I M A.



ONTIFICII Doctores sunt in ea sententia vt putent, culpam peccati à Deo remitti non itidem remissa pœnâ, adeò vt liberum illi solumque sit pœnas ab eo exigere cui peccatorum culpam ex animo condonauit. Distinguunt tamen inter pœnas temporales, & eas quæ futuræ sunt æternæ, ita vt condonata peccatorum culpa, remissæ sint itidem eorum æternæ pœnæ, cum temporales nihilominus exigere queant.

Tum aiunt pœnas istas persolui partim in hac vita, partim in Purgatorio, neque aliter quemquam ab ijs liberari contendunt, quàm per Satisfactiones. Denique Satisfactiones præstari putant partim ab ijs ipsis qui peccarunt, partim ab alijs hominibus, quæ peccatoribus ipsis ad solutionem & liberationem cedunt.

I I. Inde duplex in eo genere Disputatio; De Satisfactionibus proprijs, scilicet, & de alienis; quarum hæc virtute Indulgentiarum applicantur cum ad leuationem crucia tuum Purgatoriorum, tum ad minutionem aut liberationem earum rerum quæ hominibus in hac vita molestæ esse possunt: illæ in eundem finem sponte à peccatoribus ipsis suscipiuntur. Et ad fictitium illum quidem ignem quod attinet, superioribus Thesisibus nullum esse demonstratum est ijs rationibus & argumentis, quorum pondus nulla responsione scimus vnquam eleuatum iri. Restat ergo vt dilata in aliud tempus quæstione de Satisfactionibus alienis, hîc breuiter disquiramus, num proprijs seu pœnis seu operibus, quæcunque tandem illa sint, ipsi pro nobis Dei iustitiæ satisfacere valeamus. Quod vt melius à nobis fiat, tria hæc videntur figillatim expendenda. I. Quid sit culpa, quid pœna. II. Num culpâ remissâ, pœna retineri & exigere queat. III. Quid sit satisfactio, & qua ratione præstetur, num representatione seu operis seu rei, an verò mali perpeffione, cuius vi Dei iustitiæ satisfaciamus.

III. Vt igitur a primo ordiamur, Culpa latine loquentibus, peccatum est, siue ab insciente commissum; nam veteres Grammatici culpam eius esse dicunt *a* qui insciens aliquem læsit; quod Iurisconsulti ita interpretantur vt dicant, *b* Culpam esse, quod, cum *a* diligenter prouideri posset, non est prouisum; Siue a sciante, vnde illud, *c* Huic uni forsitan potius succumbere culpa, & sexcenta similia.

a Donatus in Hecyr. Terent. *b* Leg. 31. ff. ad Leg. Aquil. *c* Virg. lib. 4. *Aneid.*

I V. Verùm quia omne peccatum, est legis alicuius transgressio. Omnis autem

lex habet cum præscriptionem rei bonæ, vel malæ prohibitionem, tum pœnæ alicuius denuntiationem, quæ sanctio dici solet, quæri potest vtrius rei respectu peccatum culpa nuncupetur. Illud enim quod supra citatum est è Virgilio, cum altero isto, *hoc preterit nomine culpam*, & alia eiusdemmodi multa, ad priorem illum respectum referuntur. Hæc, *se summittere culpa*, *luere culpam alienam*, *derinare culpam in aliquem*, & similia propemodum infinita apud bonos autores, ad posteriorem potius pertinere videntur. Istud Ciceronis, *Ne maior sit pœna quàm culpa, cauendum*, ambiguum est; pœna enim debet exigi ad mensuram reatus, reatus verò ex atrocitate peccati æstimatur, atrocitas verò peccati tanta est quantum in eo discessum est ab eo bono quod lege præscribitur.

V. In ea autem Controuersia quæ nobis cum Pontificijs de Satisfactionibus est, culpa sanè priore modo accipi nequit. Peccatum enim, quatenus consistit vel in peruerso aliquo habitu, vel in actione aliqua per quam Legis seu præceptio seu prohibitio violatur, neque remitti dicitur, neque condonari. Est enim remittere peccatum ἀφίεναι τὴν ἁμαρτίαν, Αφίεναι autem, vt est à viris doctis obseruatum, opponitur τῷ κρείνεν. Κρείνεν verò τὴν ἁμαρτίαν ille dicitur, non qui peccare perseuerat, sed qui peccatum punire constituit; quod Iudicis est. Ideoque & ἀφίεναι dicitur ille peccatum, non qui peccare desistit, sed qui pœnam constituit prætermittere. Atque is est huius verbi sensus, cum in Nouo Testamento, tum apud omnes bonos autores. Quid enim? Vbi Christus nos docet nobis peccata nostra non remissum iri, nisi peccata remittamus ijs qui in nos offenderunt, voluit ne significare Deum non curatum efficere ne amplius peccemus, nisi etiam opera nostra fiat vt alij in nos offendere non perseuerent?

V I. Tum & remittitur peccatum quemadmodum remittitur debitum. Vnde illud, α χρι' ἀφες ἡμῖν τὰ ὀφειλόμενα ἡμῶν, ὡς ἔ ἡμεῖς ἀφίενον τοῖς ὀφειλομένοις ἡμῶν. Si quid est autem similitudinis inter peccatum & debitum in eo est, quod quemadmodum creditor ius habet exigendi debitum, debitor verò id soluere tenetur, sic iudex ius habet puniendi peccatum, peccatorem verò pœnam luere oportet. Vnde illud, *luere pœnas*. Atque adeò etiam, *luere culpam*, apud Silium Italicum. Vt igitur debitum remittitur cum eius non exigitur solutio, sic peccatum remittitur cum eius punitio non exercetur. a Matt. 6.12.

V I I. Huc accedit, quod remittere peccatum, & peccatum destruere seu abolere idem est. Cum igitur omne peccatum priore modo consideratum, positum sit, vel in habitu vel in actione aliqua, actio aboleri omnino nequit, ne à Deo quidem ipso. Nam quod factum est infectum fieri non potest. α Μόνον γαρ' αὐτὸ ἔ ἑδὸς ἐπλοκεται, inquit Agathon, Poëta Ethnicus. Nulla igitur est illius eatenus condonatio vel remissio. Habitus autem non aliter aboletur quàm introductione habitus contrarij. Quis igitur ita vnquam locutus est, vt ei peccatum remitti diceretur, qui ex vitio redigitur ab bonam frugem, & ad virtutem informatur?

V I I I. Adde præterea quod si culpa in hac Controuersia peccatum denotaret priore respectu, frustra circa hanc distinctionem laboraremus. Nam sanè non negamus quin abolito peccato eatenus, pœna tamen possit aliquo modo inferri. Scilicet, nemone fuit vnquam quem publica potestas ob crimen supplicio afficeret, quem peccati serio & ex animo pœniteret? Certè. Neque siingas animo omnes homines sponte sua à peccato ad veram pietatem veramque virtutem reuertisse, propterea liberarentur à pœnâ, vsque adeò Dei iustitia est inexorabilis, nisi pro ipsis vas aliquis ad pœnas perferendas sufficeretur.

IX. Denique, nam non est in re iam satis perspicua diutius immorandum, quia resipiscencia à peccato passim in Scriptura sacra statuitur pro conditione remissionem antecedente, & causâ illius sine qua non, sic illa suas hortationes instituit, ut ad veram resipiscenciam, veramque sanctimoniam impellat, consequendæ remissionis ergo. Sic loquuntur Prophetæ, sic Ioannes Baptista, sic omnes denique quorum prædicatio ad eam dispensationem quæ sub Veteri Testamento viguit, proprius accedebat. Frustrâ, atque aded etiam ineptè, si abolitio peccati, quæ in remissione posita est, & sanctificatio, pro vno eodemque capiuntur. Culpa igitur in ea quæstione quam tractamus, est peccatum, quatenus ad eam legis partem refertur, quæ pœnam denuntiat, & appellatur alio nomine, reatus.

X. Pœnæ significatio latè patet. Cùm enim omnis pœna consistere videatur in eo quod qui malè fecit moraliter, malè habet, mali autem physici ob morale malum irrogandi, plures causæ sint, omnino necesse est cõplura pariter esse genera pœnarum.

XI. Vel igitur malum passionis infertur ob malum actionis eo fine, ut corrigatur & emendetur qui peccauit. Ut enim facile ad malum voluptate allicimur, præsertim si coniuncta est cum impunitate, sic dolore & castigatione ab eo deterremur. Ea autem pœna *κόραν* & *υπόστα* nuncupatur. Vel ne ipsi qui iniuriam accepimus, si eam præterimus impunitam, nouis contumelijs exponamur, id quod nobis malè & iniuria factum est, simili malo corrigimus atque propulsamus; quod genus vindictæ à nonnullis putatur esse in iure naturæ fundatum. Vel consulitur in commune bonum societatis, & statuuntur exempla atque *ὑποδείγματα*, ne quis spe impunitatis ad peccandum inducatur. Vel denique habetur ratio iustitiæ tantum, quia scilicet sic est à natura comparatum, ut qui malè fecit, etiamsi nihil sit cuiquam ab eo malo metuedum, dignus sit qui malum patiat: Id autem est Dei, Rectoris vniuersi, & iusti atque iniusti custodis ac vindicis acerrimi, ingenium, ut ferre nequeat quin quisque id habeat, quo natura rerum ipsa dignum eum indicauit. Nam sanè in ea peccatorum punitione, quæ in futuro sæculo exercebitur, neque peccatorum quæretur emendatio, quæ nulla in æternum futura est; nec erit iniuriæ propulsatio, à qua Deus nihil quidquam pati potest; nec erit aduersus peccandi licentiam quam parit aliorum impunitas, cautio, quandoquidem vix infidelium ac damnatorum malitia augeri, ac ne vix quidem fidelium seruatorum sanctimonia malis exemplis corrumpi aut labefactari valebit in æternum. Itaque nihil in irrogatione pœnarum istarum Deus præter vnâ iustitiæ rationem sequetur.

XII. Veniamus iam ad secundum. Quin remissa culpâ, hoc est, reatu, qui ad pœnam ex iustitia debitam obligat, irrogari possit illa pœna *υπόστα* seu castigatoria, quæ ad peccantis emendationem tantum modò pertinet, nemo nostrum est qui dubitet: Docente Paulo *a* fideles ideo iudicari & castigari, ne vnâ cum mundo condemnentur: Fatente Dauide *b* sibi vtile fuisse quod ita eruditus fuerit; Hortante Solomone *c* nequis ideo animum despondeat: Altero Apostolo rem ita interpretante *d* ut in ea re bonam partem amoris illius paterni quo nos Deus complectitur, constitutam esse dicat: necessitate ipsa flagitante, ut tot tantaque mala quibus pij in hac vita conficiantur, ad eam causam potissimum referamus. Verùm quia id quidquid est ex amore proficiscitur, pœna nonnisi admodum *καταχρηστικῶς* appellatur. *a* I. Cor. II. 32. *b* Ps. 119. *c* Prov. 3. 11. *d* Heb. 12. 7. 6.

XIII. Altera irrogandæ pœnæ ratio qua prouidetur ne nouæ iniuriæ, veteribus neglectis, prouocentur, vix est ut Deum impellat ad puniendum. Est enim Deus extra iactum omnium iniuriarum quæ à creaturis proficisci vnquam poterunt. Itaque

remissa culpa talem pœnam pariter prætermitti, fortean dici possit. Quamquam hîc duo obseruanda esse videntur. Vnum est, quod cum hoc genus pœnæ ex prudentia potius quàm ex iustitia pendeat, neque tam retrospiciat in tempus antea factum, quàm præcautionis gratia prospicit in futurum, etsi fateremur remissa culpâ eam exigî posse pœnam, maneret tamen sententiæ nostræ in hac controuersia veritas indelibata. Agitur enim hîc de eâ pœna cuius omnis respectus est in tempus præteritum, idèd quia est aliquid factum contra ius & fas. Alterum illud est, quod etsi ex prauis nostris actionibus nihil in Deum vsque redundat, nihil tamen vetat pariter si quid est ab illis de gloria Dei detractum, quin eiusmodi pœnis prouideat atque procuret ne quid tale in posterum designetur. Atque eo referri potest id quod de Dauide dictum est. *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, &c.* Item historia numerati populi: & si quid est simile.

XIV. Tertium genus pœnæ, quod *ᾠδὴν καὶ ὀλέθρον* esse diximus, quin etiam inferri possit dimissa culpa quæ nos ad quartum genus pœnarum obligat, non diffitemur. Quid enim? Non poterit Deus apud se statuere fidelem aliquem seruare propter Christum, & tamen eum propter aliquod graue peccatum graui aliqua calamitate plectere, vt reliqui ex eo discant ambulare, vt loquitur scriptura, in timore Domini, & viuere circumspicere? Cerrè neque omnes illi quos aquarum diluuium suffocauit, in æternum perijisse putandi sunt, neque omnes qui mortui sunt in deserto ob rebellionem, neque omnes qui inter Corinthios obdormiuerunt, quia in Eucharistiæ celebratione non erant versati satis piè vel temperanter. Quin de Mose certum est, & viuere illum victurumque esse cum Christo in sempiternum, & mortuum tamen esse in deserto antequam terram Canaan contingeret, quia commiserat aliquid vituperabile atque culpandum.

XV. Nec sanè de rebus illis nostra est controuersia. Agitur de vltimo genere pœnarum, quæ solæ propriè pœnæ sunt, cum de Deo vt iudex est, agitur, reliquæ non nisi impropriè pœnæ nuncupantur. Dei autem, vt iudex est, duplicem *ἔκκλιν* in Scriptura deprehendimus; vnâ particularem, & ad vnum populum Israeliticum restrictam, quatenus illius fuit Magistratus politicus: Alteram vniuersalem, & quæ spectat omnes homines, quatenus est Rector Vniuersi. Dubitabile autem certe non est, quin culpam quam remisit, quatenus est vniuersi Rector, punire tamen potuerit quatenus habuit *ἔκκλιν* ad certam quandam nationem peculiari ratione determinatam. Fac igitur mortem filij Davidis non fuisse *ὀλέθρον* seu *ᾠδὴν καὶ ὀλέθρον* fac eam non fuisse *ᾠδὴν καὶ ὀλέθρον*, neque prospexisse in futurum; fac non fuisse denique *ᾠδὴν καὶ ὀλέθρον*, nec pertinuisse ad exemplum aliorum, (quamquam quin omnes illas rationes & relationes habuerit, nihil repugnat,) attamen potuit esse longè iustissima, eo quod, cum adulterium & homicidium mereretur apud Iudæos punitionem temporalem ex Lege Politica, nemo autem Dauidem punire posset (sunt enim reges hominum respectu *ἀνθρώπων*), Deus pro Magistratu Politico in eo se gessit, qui regem ipsum aliqua pœna multauit. Sunt enim liberi parentum suorum partes, & in eorum morte tali parentes ipsi plecti existimantur. Eo fortasse respexit Dauid, cum se a soli Deo peccasse prædicauit, quia nemo præter Deum potuit ab eo sumere pœnas. Scilicet, etsi introducto regno illa *θεοκρατία* quam Deus in Israelis Republica initio constituerat, fuit magnopere immutata, certum est tamen non fuisse funditus abolitam, & eius vim Deum ipsum, præsertim vbi homines cessabant, in irrogandis pœnis temporalibus subinde exercuisse.

a Ps. 51.

XVI. Verum quia præter vnum Israël nullius populi Deus Magistratum Po-

liticum sic administravit, & reliquorum hominum iudex est sub vna *x̄i*, tantum, absurdum est ut quod maxime affirmare eum eatenus cuiquam remittere culpam, cui tamen poenam irrogare decrevit.

XVII. Quod ut clarius euadat, poena quæ peccatoribus eo respectu debetur, in tribus tantummodo spectari potest: In morte æterna: In morte temporaria: & in ijs malis quæ mortem temporariam antecedunt.

XVIII. Et de morte æterna quidem Pontificij ipsi consentientur eam remitti remissa culpa. Quod sanè mirum videri potest, usque adeo vehementer pugnat cum ea distinctione quæ veniam culpæ à remissione pœnæ separat. Vel enim Deus remissa culpa mortem æternam ideo non infligit, quia absolute iustum & absurdum est quemquam punire propter eam culpam quam tu ei condonasti; vel quia etsi absurdum & iniustum non est qualemunque ei pœnam infligere, pugnat tamen cum Dei iustitia & sapientia eam inferre perpetuam. Prius si dicunt, ipsi se se iugulant, & suam evertunt distinctionem aperte. Posterius autem dici non potest. Non enim facit ad rationem pœnæ, quatenus pœna est, sempiterna ne sit, annon; ratio formalis pœnæ in eo consistit, quod inferitur propter peccatum ex iustitia. Iustitiæ autem illius moderatio tantum facit, ut neque respectu *tr̄is in̄iudicis* & atrocitatis, neque respectu *tr̄is in̄iudicis* & durationis, pœna sit culpæ inequalis, Spectantur ergo in administratione iustitiæ illius vindicis duo veluti momenta; vnum in eo quod irrogatur pœna propter peccatum; Alterum in eo quod tanta pœna irrogatur quanta culpa peccati existit: exigitur enim ad modum & mensuram delicti, ut sit usquequaque iusta. Si igitur posterius istud momentum iustitiæ prohibet quominus remissa culpa infligatur pœna duratione tanta; prius momentum iustitiæ pariter prohibebit quominus vlla omnino inferatur. Et si nihil est in priore momento iustitiæ quod vetet quominus remissa culpa pœna qualiscunque inferatur; nihil erit in altero quod impediat quominus remissa culpa inferatur pœna duratione tanta, quanta culpæ mensura atque ratio flagitat. Nam quæ causa discriminis? Itaque si remissa culpa pœnam retineri nihil impedit, id non in temporaria tantum, sed etiam in æterna pœna locum habere potest.

XIX. De morte illa quæ consistit in separatione animæ à corpore, res est perspicua. Nam in infidelibus habet quidem rationem pœnæ propriè dictæ. At illis culpa remissa non est. In fidelibus verò, quia illis culpa remissa est, rationem pœnæ nullo modo habere potest. Quid enim? Nonne in eo discrimen utrorumque mortis constitutum est, quod illorum respectu maledicta est; horum maledictionem omnem Deus ab ea segregavit? Et cum lex duplicem *veritatem* intentet, tam eam quæ mortem comitatur, quam quæ mortem sequitur, nonne nos Christus ab utraque liberavit, a factus pro nobis *valde*? a Gal. 3.

XX. Quod si mors temporalis ex Dei iustitia fidelibus irrogatur, duo ex eo sequuntur non modo vehementer absurda, sed importuna etiam, & quæ importunitate sua omnem ex animis pietatem euellere atque extirpare apta nata sunt. Vnum quod non potest illis non irrogari mors æterna. Alterum quod etsi posset non irrogari, nequirent tamen illi fidem atque consolationem retinere in morte; quod æque exitiale est. Et prius quidem illud sic demonstratur. Quod iudicium sit de hominibus in morte, id ipsum de ijs post mortem futurum est. Ideò nihil studiosius Christiani omnes faciunt, quam ut saltem in morte homines ad Christum conuertantur, ratio quo animo Deus erga eos morientes est, eo futurum esse postquam defuncti erunt. Si igitur in inferenda morte iudex iratus est, qui poterit esse post mortem Pater mansuetus atque placatus? Certè cum homo moritur, vel fidelis est, vel infidelis. Si

fidelis est, non potest Deus de eo statuere tanquam iudex infensus de reo maledictioni obnoxio, nisi violatâ ea *reus*: qua se se a Patrem constituit omnium eorum qui crediderunt. Si infidelis, morte temporaria maledicta defunctus, in mortem æternam itidem maledictam incurrere debet. *a Ioann. 1.*

XXI. Posterius verò sic. Qualem quisque mortem suam experitur, talem eam agnoscere debet, nisi velit sibi metipsi imponere data opera. Itaque fac eum qui credebatur antea, pati mortem maledictam, hoc est, à Deo, ut est iustus & iratus iudex, irrogatam, necesse erit illum iustum istum iudicem atque iratum in tali morte agnoscere. Qui autem moriens Deum pro iudice habet irato eumque talem intuetur, quot quantisque corripitur & conflictatur formidinis? Et si Christus ipse in tanta constantia, tanta fide, tanta cognitione veritatis cum promissionum tum vaticiniorum quæ de ipsius futurâ victoria edita erant, tanta denique angelorum ipsorum consolatione & tam efficaci, usque adeò horrendos animi cruciatus expertus est, ideo quia Pater ipsi se se ostendebat iratum, quid de nobis miseris homuncionibus futurum est, si nihil aliud in nostra morte præter Dei iustitiam peccatis nostris inceasam animaduvertimus? Quis vitare poterit quin acerbis conscientiae stimulis incitatus in desperationis voraginem impellatur?

XXII. At ille omnem dubitandi occasionem sustulit qui dixit quamlibet mortem dilectorum Domini esse pretiosam in oculis ipsius. Quod de morte maledicta dici certè haudquaquam potest.

XXIII. Petenda est igitur aliunde ratio cur fideles moriantur. Nempe præter alias causas quæ ex Dei sapientia, seposita iustitia, peti possunt, hæc est longè communissima, & omnium eorum qui in fide Iesu Christi moriuntur, quod cum residuæ sint in ijs omnibus reliquæ nonnullæ peccati, nequeunt aliter funditus extirpari quam per mortem, quæ cum animam sensitiuam extinguat, delet pariter & diuina & sensitiua, & membra illa destruit in quibus sedem habere *plu. quodam* Apostolus ubique prædicauit.

XXIV. Mala quæ mortem antecedunt, num sint pœnæ propriè dictæ etiam in impijs, dubitari potest. Nimirum omne tempus vitæ quod ad mortem usque decurrit, pœnitentiæ deputatum est, intra quod nimis sera esse non potest. Non est igitur hæcenus iudicium de ijs factum, futuri ne sint salutis compotes, annon. Scit quidem ab æterno Deus de ijs quid sit futurum, & id scit quia constitutum est decreto quod non potest immutari. Verum aliud est prospicere ex omni æternitate quid futurum sit, quod infinitæ sapientiæ est; aliud verò pronuntiare præcisam esse tali vel tali homini omnem veniæ spem, & pœnam decretoriè inferendam; quod non fit nisi à iudice, atque adeò postquam homo se se ea venia prorsus indignum præstitit. Non præstat autem se talem nisi perseverando in incredulitate usque ad mortem, quandoquidem Deus ipse tempus istud pœnitentiæ determinauit.

XXV. Quum igitur iudices pœnas non soleant infligere decretorias nisi lata sententia, pœna vix illud est propriè quod infligitur omni eo temporis curriculo inuitationi ad pœnitentiam destinato. Itaque quidquid est malorum quod incredulis & impenitentibus euenit, id pertinere videri posset vel ad *plu. decretoria*, eo fine ut emendantur; vel ad *plu. pœnaliter*, ne nimia potentia sua ad detrimentum Ecclesiæ abutantur; vel denique ad exemplum, ne reliquis hominibus audaciam addat ad peccandum impunitas, aut numinis & sæculi futuri contemptus ingeneretur.

XXVI. Verum statuamus esse pœnas propriè dictas atque decretorias: quia illis remissa culpa non est, nihil id facit ad distinctionem Pontificiam confirmandam.

In fidelibus veræ pœnæ talia rationem habere non posse ex eo constat, quod cum sit à nobis supra constitutum, culpam nihil aliud esse præterquam obligationem ad pœnam, tam absurdum est remissam esse culpam retenta pœna, quam absurdum est, & ab omni ratione alienum, liberatum esse ab obligatione debitorem, à quo tamen creditor æs suum mutuo datum repetere constituit.

XXVII. Nunc videamus tertio loco quid sit Satisfactio. Est autem Satisfactio nomen cuius res reperitur quidem in ijs Scripturæ locis in quibus de redemptione nostra agitur: ipsum tamen nusquam in ea occurrit. Quum igitur petitum sit è Iurisprudentia, convenire videtur ut quid denotet Iurisconsultos interrogemus. Est igitur Satisfactionis apud Iurisconsultos duplex notio, una strictior, altera verò latior. Et prior illa quidem Satisfactionem solutioni strictè pariter sumptæ opponit. Est igitur solutio actus debitoris solventis id quod est in obligatione, qui ipso facto liberationem impetrat. Satisfactio est actus seu debitoris, seu fideiussoris, solventis id quod non est in obligatione, quique ideo ipso facto liberationem non obtinet, sed potest vel admitti, vel recusari in iudicio. Si recusat, liberatio non contingit: si admittitur, contingit, & ut loquitur Vlpianus, a satisfactio pro solutione est. Posterior complectitur omnem penè solutionem, ut quocunque modo ab obligatione recessum sit, vel alicuius animum expleuerimus, ei satisfacisse dicamur. a ff. de solut. leg. 52.

XXVIII. Vtramque illam Satisfactionis notionem Pontificij in hoc negotio sequi videntur. Nam & si quis pœnas temporales à Deo immisas propter peccata ferat, ex eorum hypothesi iustitiæ divinæ satisfacit. Solvit autem quod erat in obligatione. Non enim proculdubio Deus iustissimus idem sapientissimusque iudex, pœnas à peccatis natura diuersas & abhorrentes exigit. Et si quis sponte sua aliquid sibi imponat, aut à Presbytero pœnitentiario impositum in se recipiat, quo iustitiam divinam expleat, satisfacit ille pariter, si ijs credimus: Nam & præcibus, & ieiunijs & elemosynis, & alijs operibus, quæcumque tandem illa sint, quæ ab ipsis ea de causa suscipiuntur, vim Satisfaciendi attribuant. In quibus omnibus operæpretium est eorum hallucinationes breuiter obseruare.

XXIX. Et prius illud quidem à nobis supra reiectum est. Quando enim hic agitur, non de infidelibus, sed de fidelibus, demonstrauimus autem nullas fidelibus à Deo infligi pœnas propriè dictas, consequens est ut nullarum pœnarum à Deo impositarum perpeffione satisfaciant: Nam illæ sanè solæ satisfacere possunt. Quid satisfacere possunt? Immo ne temporales quidem pœnæ, vel maxime propriè sic appellatæ, si ullæ à Deo fidelibus immitterentur, dici possent Deo satisfacere. Satisfacere enim dicitur, qui vel id omne quod est in obligatione soluit, vel tantumdem quantum est in obligatione. Quum enim multo minus quam est in obligatione soluitur, debitor autem liberatur, obligatio dicitur soluta per acceptilationem; per satisfactionem haudquaquam. Nemo autem dubitat quin multo plus debeamus quàm quod luere possumus in pœnis temporalibus. Quod si quis dicat nostras quæ pœnis temporalibus fiunt satisfactiones, vnà cum Christi satisfactione coniungi, ut ex earum coniunctione vnà perfecta atque integra satisfactio componatur, ne ille verbis vtitissimis & notissimæ significationis perperam abutetur. Fac enim me debere centum aureorum milliones; fideiussorem verò meum totam illam summam pro me exoluere, vno dempto teruntio, quem ipse de meo ære suppeditem, ridiculus sim vel insolenter arrogans si ideo quia teruntium dedi, creditori meo me satisfacisse prædicem. Quis me ferret ita stotidè gloriantem? Quamquam minus est quidquid est pœnarum temporalium, quod ipsi ferre possumus, ad pœnas æternas quæ infinitæ sunt;

quàm teruntius ad quamlibet aureorum summam, quæ numquam tanta esse potest, quin finita sit.

XXX. In posteriore error geminus est. Ac prior quidem in eo consistit, quod illis rebus vim satisfaciendi attribuunt, quæ nullo modo rationem pœnæ habere possunt. Et de oratione quidem res clara est. Nam sanè si quis in eo quod Deum orat, pœnam se se pati aliquam putat, impius est: Quemadmodum & qui eleemosynam erogar, & qui ieiunat ut Deo exhibeat aliquem cultum. Quis enim patitur pœnam nisi iniquus? Iniquus autem omnia ista qui facit, potestne pietatis laudem ferre, aut evitare culpam impietatis?

XXXI. Verùm esto. Patiatur aliquis pœnam lubenti animo. At certè omnis pœna propriè dicta in malo aliquo physico consistit, neque consistere potest in vlla re quæ rationem habeat boni moralis. Pœna enim molestiam aliquam exhibere debet ei qui patitur, ut & illi doleat ob malefactum, & à malo faciendo in posterum deterreatur. Bonum autem morale tantum abest ut molestiam exhibeat, ut ex nullo alio fonte dulcior voluptas fluat iucundiorque. Non est enim bonarum actionum *ἡ δὸν* proprium & præcipuum τέλος, quod nullum est extra ipsas: sunt enim ipsæ sibi finis. At est tamen τέλος ipsis ita *ὑπονοούμενον*, ut loquitur Philosophus, ut ab ijs planè separari nequeat.

XXXII. Adde quod cùm pœna sit malum quod sentitur ob malum quod actum est, si id quod habet rationem boni moralis pœna esse potest, id quod est summè bonum, (nam quid pietate erga Deum & caritate erga homines melius est?) habebit tamen aliquam rationem mali, ideoque fugiendi. Quod non modo vehementer absurdum est, sed & pietati atque virtuti aduersarium ut quod maximè.

XXXIII. Neque verò res illæ, quæcunque sint, pœnæ dici possunt pro peccatis satisfactoriæ, quatenus sunt operosæ atque laboriosæ. Primum enim in oratione nihil vsque adeo laboriosum esse debet, ut molestiam creet vel corpori vel animo humano. Etenim id quod est vehementer molestum, animam abstrahit atque auocat ab omnibus alijs obiectis ad se. Id igitur quod animum acriter vrit, est potius orationi impedimento, quàm adiumento. Quod si Deus spiritum precationum rebus aduersis atque laboriosis in nobis excitat, id fit quia doloris sensus acerrimus liberationis desiderium incendit, cuius instinctu ad eum confugimus, qui nos è doloribus atque periculis eripere potest. Id igitur a quo liberari tam vehementer exoptamus cùm à Deo immittitur, ipsi ne in nos accersamus, ut confugiamus ad Deum à quo nihil quidquam tum patimur, quum liberatio atque depulsio mali sponte suscepti sit in nostra potestate?

XXXIV. In eleemosyna si quid est molestum, situm est in iactura rei qua carere postquam eam dedimus. Carere autem pecunia vel alia re istiusmodi, tum molestum est cùm vel auari sumus, vel eâ nobis magnopere opus est ad vitam & familiam sustentandam. Quorum vtrumque eleemosynæ satisfaciendi vim adimit. Nam qui dat id quo carere non potest citra vitæ periculum & familiæ memorabile damnum, malè facit & imprudenter. Qui dolet ob rem à se donatam qua facilè carere potest, facit turpiter & sordidè, atque adeo etiam fortè crudeliter & truculenter. Quid enim immanius est quàm pati ut ille pereat ob rei defectum, quam tu cum eo communicare potes citra memorabile detrimentum? Quæ autem talia sunt, tantum abest ut satisfactoria sint, ut nulla humana satisfactione explari possint.

XXXV. Ieiunium sub Veteri Test. partem aliquam faciebat cultus diuini, qui in rebus non modò corporeis, sed etiam duris nonnihil & laboriosis ut plurimum posi-

tus erat. Eo iugo scilicet Deus voluit Ecclesiam suam ad libertatem erudire. Sub Nouo Testamento res aliter se habet. Nullum enim locum habet in religione, nisi vel quatenus vehementis alicuius mœstitiæ, è sensu peccati conceptæ, effectus atque indicum est, vel quatenus est ad orationem *προσευχὴν* quædam. Prior illa ratio prohibet quominus satisfactorium esse queat. Nam si ieiunas quia tristis es, tristis es autem quia metuis, non potes per ieiunium Deo satisfacere, quin multo magis id præstes per metum atque timorem. Ideone ergo putabimus nos Deo satisfacere posse quod eius iustitiam reformidamus? Vllusne vnquam reus se se pœnâ defunctum esse credidit, quia ad pœnæ mentionem atque cogitationem cohorrui & trepidauit? Aut si tristitia non tam ex metu pœnæ quàm ex odio peccati ipsius nata est, ideone nos iustitiæ diuinæ satisfecisse putandi sumus, quod animos nostros peccati horror inuasit? Posterior haud minus. Nam si *προσευχὴν* illa necessaria est, (vt potest his vel illis circumstantijs positis esse non numquam necessaria) negligi non potest citra culpam. Quod autem debemus ex officio, & quod negligere non possumus citra peccatum, quæso, si præstetur, qui potest cedere in solutionem aliûs debiti quod persolvere negleximus? Quisquamne vnquam debitor duas obligationes dissoluit eo quòd pependit id quod erat in vna tantum? Si necessaria non est, temere suscipitur: quod autem temerè fit, Deo ad satisfactionem acceptum esse nequit.

XXXVI. Quod ergo dicitur apud Daniele, & si qua sunt alia istiusmodi loca, de peccatis precibus, ieiunio & elemosyna redemptis, exponi debet ex phrasi in scripturis vsitata, in qua sepe id quod consequitur, ponitur pro eo quod antecedit, & vice versâ. Nempe quia si quod est peccatum vera satisfactione redemptum, habetur pro abolito, peccatum quod quacunque ratione abolitum est, ea phrasi dicitur esse redemptum. Conferre autem & orationem & ieiunium & alia istiusmodi ad obtinendam remissionem peccatorum, vt sunt argumenta veræ pœnitentiæ veræque fidei, nemo dubitat. At neque fides neque pœnitentia pro satisfactione est, sed pro conditione remissionem antecedente.

XXXVII. Posterior error in eo situs est, quod cum quæ sponte à nobis suscipiuntur, aut alijs hominibus, quantumvis dura & perpeffu difficilia, satisfactionis ergò nobis imponuntur, non sint illa propriè mala quæ nos commeriti sumus, sed aliquid quod in eorum locum sufficimus, testibus ipsis Iurisconsultis, & sic ipsa docente natura rerum, non possunt esse pro solutione, & nos liberare à debito, nisi ad actum ipsum patiendi, Dei ipsius acceptatio accedat. Nam in tali Satisfactione duplex ille actus necessarius est, & vt solvatur aliquid a fideiussore, & vt id quod soluitur, a creditore acceptetur. Vbinam igitur Deus Pontificios docuit se se acceptaturum esse quæ loco pœnarum, quas irrogare ipse debuit, ab illis sufficiuntur? Vbinam talem sibi satisfactionem gratam futuram esse declarauit?

XXXVIII. Tum vt Satisfactio sit legitima, debet ex æquo respondere ei rei pro qua per eum satisfacere contendimus. Nam si maior est, creditor plus accepit quàm oportet, quod iniustum est. Si minor, aut non dissoluit obligationem, aut acceptilario est, non satisfactio. Quis autem illis dedit eam auctoritatem vt quid iustitiæ diuinæ peccatis irritatæ satisfacere valeat, quid non, expendant, ita vt suo iudicio Deum iubeant esse contentum? Vsqumne fuit vnquam tam perturbata Reipublicæ conditio, vt qua ratione legibus satisficeret, & quid ad eam rem sufficere posset, pendeat ex arbitrio reorum?

XXXIX. Denique, si nobis pro nobis satisfaciendum est, id vel ideo fit quia Christi satisfactio non sufficit, vel quia etsi sufficiat illa, noluit tamen Deus omnem

nostrum reatum Christi satisfactione tolli, sed nostras ad illius vim satisfactiones accedere, æquum esse existimavit. Prius autem illud blasphemum est in Christi Deitatem. Nam si Christus Deus est, habet eius satisfactio vim infinitam. Posterius est Dei sapientiæ iniuriosum. Quid enim absurdius esse potuit, quàm ut cùm haberet in Christi satisfactione vnde iustitiam absolutè placaret, haud aliter quàm si foret imperfecta, quæreretur in passionibus nostris aliquod ad illam supplementum? Vt, scilicet, si minus ex toto redemptores nostri esse possumus, saltem ex aliqua parte gloriam istam cum Christo diuidamus. Ea est hominum in rebus ad salutem pertinentibus, vanitas, atque superbia, ea stultitia etiam, ut quia sibi humeros stimulis & vibicibus oppleuerunt, putent iniquè secum agi, nili Dei placasse iustitiam, & benevolentiam demeruisse existimentur.

X L. Perperam igitur quæ vel in scriptura sacra de *indignitate*, quam in se se Corinthij exercuerunt, vel apud Patres Christiani molesta sibi ipsis imposuisse reperitur, ut ingentem aliquem animi dolorem ob antea facta peccata testificarentur, aut ut lasciuienti suæ carni frænum injicerent, & tumultuantes appetitus compescerent, ne in similia errata deinceps prolaberentur, eò referuntur a Pontificijs, quasi de Iustitia Dei placanda, deque illius ira per Satisfactionem auerrenda cogitassent.

X L I. Perperam etiam, & in Christi satisfactionem contumeliosè, quod olim ex Ecclesiæ disciplina, ut satisfaceret aliquo modo legibus Ecclesiasticis, peccatoribus imponebatur, eò detortum est, ut æternis illis legibus satisfaceret, quæ ab ipso Deo, & rerum natura sancitæ, & violatæ ab hominibus, non potuerunt ius suum consequi, nisi per vnius Christi mortem ignominiosam atque cruentam. Illi cum Patre & Spiritu Sancto, vni Deo, sit laus honor & gloria in æternum, A M E N.

Gregor. Nyss. De Pœnitentia. Ad Thes. X L.

Delitijs indulgens in morbum incidisti, eum ieiunio cura. Animus laborat incontinentiâ: adhibeatur temperantia pro medicamento. Multifaria pecunia cupiditas febrem spiritualem tibi creauit: elemosynâ plenitudinem euacuato: communicatio enim & liberalitas habent in se nimium expletæ mentis purgationem. Lasci te alienarum rerum direptio; redeant ad proprios dominos ea quæ direpta sunt. Mendacium prope deduxit ad interitum: (perdes enim, inquit, omnes qui loquuntur mendacium,) veritatis studio periculum siste. Iusjurandum violatum sustulit in sublime filij Zachariæ voluntatem securim & cædem minitantem: induamus vniuersam armaturam pœnitentiæ, ut securis aciem & ictum euitemus. Impijs hereticorum opinionibus aliquis obnoxius factus est; rectæ sententiæ decretis superstitionem fugato. Hæc enim est pœnitentia.

Idem ibidem. Quid aliud est pœnitentia nisi *abici & à quævis præteritorum quæ vel re vel cogitatione sunt admissa?*

Ad Thes. X L I. Lib. de Eccles. dogmatibus apud. August. cap. 35.

Quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, horror prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.

F I N I S.

THESES THEOLOGICÆ
DE THESAURO ET INDVLE
GENTIIS ECCLESIAE ROMANÆ.

Præfide D. JOSVE PLACEO.

Respondente THEODORO CRISPINO, Marenensi.

THESIS PRIMA.



DISPUTATVM est de Christi vera, & Sanctorum falsò credita satisfactione; nunc de vtriusque superfluitatibus & reliquijs, vnde Thesaurus collectus esse dicitur, ex quo pontificiæ promuntur Indulgentiæ, disputandum est, sed paucis, quòd eius fundamenta iam sint superioribus disputationibus euerfa. Habebit autem hæc disputatio partes duas, vnā de *Thesaurò* illo, alteram de *Thesauri illius usu*.

II. In *Thesaurò* nihil repositum volunt præter τὰ θεωρηματα satisfactionum pro pœna temporali diuinæ iustitiæ, partim ab ipso Christo, partim ab eius sanctis, præsertim martyribus exhibitarum. Est igitur nobis disputandum, primò de satisfactionis Christi redundantia, deinde de satisfactionum, quas à fidelibus præstitas fuisse dicunt πλεονασμῳ. Denique de vtriusque coniunctione & concursu ad hunc thesaurum componendum.

III. Satisfactionem Domini nostri Iesu Christi vsque adeò ὑπερμετρασέν, vt multum superfluat in thesaurum colligendum ex eo primùm effici putant, quod cum ad redimendos homines vna sanguinis eius gutta satis esse posset, totum sanguinem suum ad mortem vsque profudit. Deinde etiam ex eo quod cum eius satisfactio valoris sit infiniti redimendis omnibus huius mundi, immò mille mundorum, si mille forent, hominibus sufficientis, ea tamen nisi paucis huius mundi hominibus applicetur nemini.

IV. Harum rationum prior à nobis multis de causis reijcitur. Principiò Deum plus petiti tacite insinuat, quasi centies, immò millies plus à vade nostro filio suo exegisset, quàm dissolviendo debito nostro satis esse posset. Qui Deum putant, adeò est misericors, hostes suos damnatos punire infra condignum, quomodo affirmant eundem à filio suo pœnam exegisse quàm satis esset maiorem, immò tantò maiorem?

V. Deinde, ea ratione tollitur mortis Christi necessitas, quam Scriptura multis locis inculcat. Quid enim opus erat tam acerbam, & ignominiosam, & lege Dei maledictam mortem infligi Dei filio, si vel vnica sanguinis eius citra mortem guttula sufficiebat? Quis credat Deum Patrem, qui ne peccatoris quidem morte deletatur, voluisse Filium suum vnigenitum innocentissimum tam diro & immani & maledicto mortis supplicio afficere, si id minime fuit ad redemptionem nostram necessarium?

K

VI. Immo tollitur necessitas satisfactionis : cum enim iustitia vindex in æqualitate sita sit pœnarum & peccatorum, pugnent autem cum æqualitate plus & minus ex æquo, si pati potuit iustitia ut decies plus pœnarum, quam satis esset, exigeretur, utique pati eadem potuit ut decies minus exigeretur. Si igitur condonare novem partes pœnæ sine satisfactione potuit, quid est quamobrem partem decimam atque adeo totam pœnam condonare pariter sine satisfactione non potuerit?

VII. Obscuratur etiam amoris illius splendor quo filium optimum Pater optimus prosequabatur. Nam quo leuiore ratione inductus eum ad immanissimam mortem tradidit, hoc minoris se eum fecisse minusque dilexisse testatur est. Quantum autem de patris erga filium amore detrahitur, tantum de Dei erga homines amore decerpitur, qui tantò major effloruit, quantò chariorem filium pro nobis Pater dedit.

VIII. Quinetiam fit iniuria sapientia divina : Non enim sapientis est plura adhibere ubi pauciora sufficiunt : & ad extrema remedia confugere, cum mitiora satis potentia sunt ; & mille autem redimere, quod unico autem redimi potest. Si potuit generis humani morbus vna sanguinis Christi guttula curari, sapientia non fuit exigere in eam rem totius sanguinis Christi profluvium. An decuit Deum pretiosissimi sanguinis filij sui, nulla salutis nostræ necessitate flagitante, prodigum esse?

IX. Dici non potest quantum horrorem incutiat peccatori quantum odium peccati ingeneret contemplatio atrocitatis mortis Christi, quâ loco nostro functus est. Minuetur valdè hæc quoque efficacia si persuasum fuerit unicam guttam sanguinis Christi suffecisse, reliqua quæ passus est redundasse.

X. Cur autem vnius guttulæ sanguinis effusio satis esse ad nostram redemptionem potuisset nisi quia fuisset infiniti valoris? quo posito, si quid aduersariorum ratio altera valet, sequitur eam potuisse omnibus huius mundi, immò mille mundorum hominibus redimendis satis esse, ac proinde, & totius sanguinis effusioni, hoc est, morti valore æqualem esse, & tantum de ea superesse colligendum in thesaurum, quantum de toto profluvio, deque ipsa morte. Itaque quicquid præter vnius guttulæ sanguinis effusionem passus est Christus, id totum inutiliter superfluere.

XI. Denique, non potuit pro peccatis nostris satisfieri Dei iustitiæ, nisi ei debitum nostrum, hoc est, pœnam nobis debitam persoluendo. Pœna autem nobis debita mors erat : hanc enim, & peccatum merebatur, & lex comminabatur, & sibi deberi homines sacrificijs, veluti totidem chirographis olim sub lege profitebantur. Mortem igitur, ut pro peccatis nostris Dei iustitiæ satisfaceret, pati vadem nostrum necesse fuit : oportuit quidem ad mortem ex dignitate patientis infinitatem quandam valoris accedere, quâ mortis nobis debita cum multitudo, tum durationis æternitas compensaretur : sed non potuit dignitas patientis efficere, ut guttulæ sanguinis citra mortem effusio, vel mors esset, vel morti valoris infiniti æqualis : manet, enim semper essentielle inter effusionem guttæ sanguinis, & totius sanguinis profluvium seu mortem discrimen.

XII. Ad alteram rationem quod attinet, agnoscimus ex infinita dignitate satisfaciens natum satisfactionis infinitum valorem, qui satis esse possit redimendis omnibus qui sunt, fuerunt, & futuri sunt, hominibus, immò multò pluribus, nihil tamen eius propterea superfluum esse, aut fidelibus non applicatum putandum est.

XIII. Primum enim morte valoris infiniti fidelibus quibus applicatur redimendis opus erat, mortem duratione infinitam commeritis. Deinde, quibus Christi satisfactio applicatur, ijs applicatur tota non autem eius sua cuique pars : nam, neque mors distrahi in partes potest, neque Euangelio & Sacramentis huic pars vna

satisfactionis Christi, alij pars alia, sed tota singulis, tota omnibus offertur & applicatur: totus Christus ab vnoquoque fidei editur & bibitur: nihil superest condendum in thesauro. Itaque insignis eius typus agnus paschalis, ita totus in vnaquaque domo edi debuit, vt si quid superesset, id non asseruaretur in thesauro, sed igne consumeretur.

XIV. Adde quod diuisio eius quod satis est ab eo quod superfluit, vt hoc reponatur in thesauro, non illud, cum ipsa satisfactionis infinitate pugnat. Quod enim infinitum actu est, id prorsus indiuisibile est: nam si diuidi posset, vtrique diuidi posset in partes infinitas, & has rursus in alias infinitas, & ita in infinitum, ac proinde in singulis partibus tot tantæque essent partes, quot quantæque fuissent in ipso toto. Cum igitur implicet contradictionem totum non esse majus parte, implicat etiam contradictionem infinitum diuidi.

XV. Præterea, si rationes illæ veræ essent, sequeretur, id quod satisfactioni Christi superfluit colligendum in thesaurum, eo quod satis fuit, quodque in remissionem omnis culpæ & pœnæ æternæ eorum qui seruantur impenditur, tanto majus esse, quanto guttula sanguis majus est totius sanguinis profluuium in & numero fidelium multitudo pereuntium, necnon hominum mille mundorum si mille essent. Qui fit igitur, vt quod satis fuit valeat ad omnis culpæ & pœnæ æternæ remissionem, quod autem superfluit non valeat nisi ad relaxationem pœnæ temporalis?

XVI. Quæro etiam, num id quod in remissionem omnis culpæ & pœnæ æternæ impenditur sit finitum, an infinitum? Nam si infinitum est, nulla causa est cur satisfactionis Christi superfluentes aliquas velint esse reliquias. Sin finitum est sequitur, primò superesse infinitum superfluum eo quod satis est infinities majus, quo tamen nemo seruatur: secundò ad remittendâ omnem culpam & pœnam æternam suffecisse finitam satisfactionem, id quod cum ipsum per se absurdum est, tùm hoc quoque absurdi trahit secum quod nihil necesse fuit vadem nostrum esse Deum: tertio recurrere quæstionem, vtrum illud quod ex superfluo illo impenditur in remissionem pœnæ temporalis sit finitum, an infinitum? infinitum certè non est, si non est infinitum id quod impenditur in remissionem pœnæ æternæ. Si ergo finitum est, superest absque vllò vsu infinitum in nullo reponendum thesauro. Vitari igitur id non potest quod suo illo thesauro vicare velle videntur, vt nequid satisfactionis Christi effluat inutiliter.

XVII. Illud quoque quæri potest, annon Christi satisfactio satis esse potuisset ad remittendam omnem culpam, omnemque pœnam æternam omnibus huius mundi, immò mille mundorum hominibus? Negare certè id non possunt. Plurimum igitur superfluit ad culpas pœnasque æternas remittendas aptum. Quid de eo statuit Ecclesia Romana? Si in thesaurum collectum est, cur nihil valet thesaurus ille ad culpæ pœnæque æternæ remissionem? Si non est collectus, quid est causæ quamobrem potius in thesauro repositum sit id quod valet ad pœnam temporalem relaxandam?

XVIII. Quid quod eo thesauro ne vnus quidem seruatur qui non esset absque eo seruandus? quod igitur satisfactionis Christi satis esset ad omnes eos qui pereunt, necnon ad homines mille mundorum seruandos, nihilominus perit, quam si nullus collectus esset eiusmodi thesaurus.

XIX. Dicam aliquid amplius, non sit collectione illius thesauri vt ipsis fidelibus (qui omnes & soli seruantur) magis applicetur satisfactio Christi. Quid ita affirmant pontificij satisfactionem Christi fidelibus applicari per pœnas temporales. Quare hoc ipso quod pœnas temporales vt Dei iustitiæ satisfaciant patiuntur, illis

applicatur Christi satisfactio, quæ applicatio per Papales indulgentias impeditur & tollitur.

XX. Ac mihi quidem videntur sic disputando perinde nugari, ac si contenderem, vel Dei potentia quod plures mundos creare, vel luci solis quod pluribus illuminandis sufficere, vel voci concionatoris quod à pluribus audiri possit, aliquid superfluere colligendum ad certos usus in thesaurum. Quin igitur concludimus satisfactionem Christi, cum ita perfectam esse, ut, neque excessu, neque defectu ullo laborer, tum fidelibus ad omnem culpam & poenam æternam remittendam applicari, vel potius imputari integram, non autem parte aliqua recodita in thesauro mutilatam.

XXI. Porro quantumcumque velint esse quod superfluere dicunt satisfactionis Christi pro poenis fidelium temporalibus, tamen eo non contenti coaceruant in eodem thesauro superfluitates omnes earum satisfactionum, quas dicunt à multis fidelibus, præsertim à martyribus, pro iisdem illis poenis temporalibus Dei iustitiæ tantâ copiâ præstitas, ut multum superfluxerit, quo thesaurus iste augeri possit. In quo dici non potest quantam faciant Dei iustitiæ iniuriam. Iam dixerant eam à vade nostro Dei filio, multò plus quàm satis esset dissolvendo debito nostro petiisse. Nunc eam affirmant plenissima illa & superfluente satisfactione non contentam ab ipsis fidelibus, pro quibus tam cumulatè satisfactum fuerat, exegisse, ut pro eodem illo debito satisfacerent ipsi; ac (quod adhuc amplius est) non iustam duntaxat ab ijs, aut petiisse, aut accepisse satisfactionem, sed iustâ multò maiorem. Quid est facere Deum (horresco cogitans) omnium qui unquam fuerunt siue creditorum, siue indicum iniquissimum, si hoc non est?

XXII. Deinde, unde habent multò plus quàm satis esset, ut Dei iustitiæ satisfaceret, poenarum fuisse quosdam fideles? Num id divino aliquo oraculo reuelatum est? nullum extat in sacris literis. Num id ratiocinando colligunt? tenent ne igitur quot quantaque fuerint fidelium illorum peccata occulta, ipsis suis authoribus ignota? aut quanta cuique peccato debeantur temporales poenæ? unde etiam habent fidelium illorum afflictiones poenas fuisse satisfactorias, quas negare nequeunt, vel paternas castigationes, fuisse, vel fidei probationes, vel ad patientiam confirmandam exercitationes, vel certamina aduersus hostes, immò singularia quædam Dei beneficia fuisse *a*, pro quibus nescio an satis gratiarum agi possit Deo, vel ab ipsis illis qui eas passi sunt, vel à nobis quibus patiendo, cum exempla suppeditarunt fidei & patientiæ, rum argumenta veritatis Evangelij. Cum igitur tot fuerint & tanti, vel usus, vel fines, molestiarum quas illi fideles perpassi sunt, unde habent eos, vel plusquam satis esset passos, vel eo animo, aut à Deo irrogatas, aut ab ipsis toleratas illas molestias fuisse, ut pro suis peccatis, pro quibus sciebant Christum cumulatissimè satisfecisse, ipsi satisfacerent? *a Phil. I. 29.*

XXIII. Præterea, satisfactionibus illis sanctorum Christi satisfactionem euerunt. Annon enim Dei iustitia hoc ipso quod ut sibi satisfiat pro poenis temporalibus exigit, innuit sibi pro poenis illis nondum esse satisfactum?

XXIV. Quid tam perspicuè interrogationi possunt respondere? dicent ne cum Bellarm. *a*, plenissimè quidem pro poenis temporalibus Christum satisfecisse, non tamen immediatè, sed mediatè tantum, quatenus gratiam nobis præbet quæ satisfaciamus ipsi. Hoc verò primum quid est, nisi verbis abuti nimis insolenter, & plenissimam Christi pro poenis temporalibus satisfactionem verbis affirmare, re autem ipsa negare? Aliud enim est satisfacere, aliud præbere gratiam quâ alius satisfaciat. Si nos ipsi satisfacimus, non igitur Christus pro nobis. Gratiam non solus Christus præber,

sed Pater etiam, & Spiritus S. quos pro nobis satisfecisse nemo dixerit. Quanquam quâ gratia sit opus ut quis pœnas quas est commertus luendo pro illis satisfaciât, equidem non intelligo. Nonne enim reprobi cum pœnas temporales absque gratia perpetuantur, ipsi quoque pro iisdem illis pœnis Deo satisfaciunt? a Bell. lib. 4. de pœnit. Cap. 15. & lib. 1. de Purg. Cap. 14.

XXV. Deinde sic respondendo suum illum thesaurum exinanunt, cuius prima & præcipua gaza est rō ~~apriorum~~ satisfactionis Christi pro pœna temporali; ex quo aliquid soluit scilicet Pontifex Romanus, non ut præbeat gratiam satisfaciendi, sed ut indulgeat satisfactionis relaxationem, atque aded fideles, vel gratia illa qua satisfaciunt priuet, vel saltem gratiæ illius fructu. Etenim, si Christus non satisfecit pro nobis nisi nostra satisfactione mediante, eius satisfactio nostram non tollit, sed ponit, & necessariam facit, ac proinde comparata non est ad nos leuandos satisfaciendi necessitate.

XXVI. Denique, ipsa Christi satisfactio huic responsioni reëclamat. Is enim vna eademque satisfactione, eodem modo sese habente, pro culpis, pœnis æternis, & pœnis temporalibus, (si quas ut culpa vindicetur iustitia Dei exigit) satisfecit plenè, imò plenissimè, immò, ut disputant, plus satis. Si igitur pro culpis & pœnis æternis satisfecit immediatè, quid est quamobrem eum negent etiam pro pœnis temporalibus immediatè satisfecisse? Pro quibus si non immediatè satisfecit, quâ sit ut eius satisfactio per Baptismum applicata pœnam temporalem æquè ac æternam auferat?

XXVII. Respondebunt fortasse, satisfecisse quidem Christum pro pœnis temporalibus plenissimè, sed ea lege ut applicetur, applicari autem nobis per nostras satisfactiones. Fateor debere applicari satisfactionem Christi, sed ea iam applicata est ei, cui omnis culpa pœnaque æterna clementer remissa est. Et, ut nondum esset applicata, fieri deberet eius applicatio ea vna ratione, quam Deus verbo suo præscripsit. Quid est autem magis, aut ridiculum, aut etiam iniquum quàm exigere ut satisficiamus ipsi pro pœnis temporalibus, quo nobis applicetur satisfactio quam pro iisdem illis pœnis vas noster loco nostro præstitit? ut soluamus debitum pœnarum temporalium, quò nobis imputeretur eiusdem illius debiti facta pro nobis à vade nostro solutio?

XXVIII. Aut Dei iustitia exigit ut satisficiamus ipsi quò nobis applicetur Christi satisfactio, aut non exigit. Si exigit, quomodo eam putant aduersarij ad remissionem pœnæ temporalis per Baptismum, per sacrificium Missæ; per vehementem contritionem, per Papæ indulgentias applicari? quænam etiam, & ubi est lex illa, quâ ut id exigat, nititur? si non exigit, contenta est igitur Christi satisfactione, nostra nihil opus est, immò actum agimus si cui iam satisfactum est volumus satisfacere nosque propinamus ridendos si, non exigente iustitia, puniri volumus.

XXIX. Quærerem libenter, num etiam sub Veteri Test. fideles tenebantur satisficere Deo pro pœnis temporalibus? Nam, si non tenebantur, agebatur cum illis sub Vetere quàm sub Nouo clementius, eratque efficacior nondum exhibita Christi satisfactio, quàm postquam exhibita est. Si tenebantur, an etiam tum temporis plus pœnarum dabant Deo, quàm esset satis? si negant, cur exempla superfluentium satisfactionum exsculpere conantur è Vetere Testamento? cur etiam non patiuntur nos id ipsum negare de fidelibus Noui Testamenti, cum eorum par ratio sit? Si affirmant, cur igitur neque thesauri inde collecti, neque indulgentiarum, neque Purgatorij, neque satisfactionum humanarum vlla sit in tota Scriptura mentio?

XXX. Præterea, quorum Christi satisfactioni sanctorum satisfactiones adiunguntur? nam frustra fit per plura quod æquè benè & cōmodè fieri potest per pauciora. Atqui quicquid fit per Christi & Sanctorum satisfactiones, id æquè benè & cōmodè fieri potest per solam Christi satisfactionem. Infinita enim cū sit accessione satisfactionum humanarum non augetur eius thesaurus, non crescit vis aut valor.

XXXI. Aiunt satisfactiones Sanctorum posse adungi thesauro satisfactionum Christi, *ne videantur esse inanes coram Deo*. Ego verò contrā non debere contendere, ne Christi seruatoris ipsorum & nostri satisfactio videatur esse non sufficiens, non infinita, non omnibus partibus & numeris perfectissima. Immo ne sit tantum ipsius satisfactionis inane quantum ipsi adiungitur alienarum satisfactionum. Denique ut ne minus præstantium satisfactionum admixtione diluatur, minusque pura & sincera euadat.

XXXII. At, inquit, *hoc & ipsis Sanctis perhonorificum est, & Christo etiam gloriosum*. Collectæ sunt igitur in Theaurum, non quod illis opus esset fidelibus, quibus abundè sufficiebat Christi satisfactio; sed, vel propter ipsas illas satisfactiones ne inanes esse viderentur, vel propter ipsos sanctos ut sic honorarentur. Cur non contrā colligunt, aut non esse Sanctos ut pro peccatis satisfacerent, sed alio fine, passos, aut plusquam satis erat passos non fuisse, ne plas illud superfluum esset & inutile; non enim quicquam, aut Deus, aut Sancti quatenus Sancti frustra & inutiliter faciunt. An est sanctis perhonorificum, si dicantur multa passi fuisse ut actum agerent, ut satisfacerent Dei iustitiæ cui iam plenissimè satisfactum erat, ut gloriam redemptionis hominum, quantum in ipsis esset, inter se & Redemptorem suum diuiderent? tribuere sanctis honorem soli Christo debitum est ipsis ingratum, Christo iniuriosum, tribuentibus perniciosum.

XXXIII. At gloriosum est Christo. Contrā est; nam, si ipsi gloriosum est satisfecisse pro peccatis nostris, profectò quanto eius satisfactio plenior, & efficacior, apparet; tanto maior ad eam redit ex satisfactione gloria. Tanto autem plenior & perfectior apparet, quanto fideles plenius & perfectius liberat à peccati pœna, minusque eger alius satisfactionis supplemento. Non enim sicut potentia actiue effectus esse potest potentia actiua, quæ nisi ipsa quoque aliquid ageret frustra esset, sic satisfactionis, quæ posita est in passione, effectus quidam est alia satisfactio pro eodem debito, sed liberatio à debito. Ferres-ne creditorem, cui esset tuo nomine à vade tuo plenissimè satisfactum, nihilominus ut tibi satisfaceres exigentem, quod, & tibi honorificum esset per reipsum soluere, & vadi tuo gloriosum, si per tuam satisfactionem eius satisfactio tibi applicaretur, vimque suam exereret?

XXXIV. Adde quod, si pro suis nostrisque peccatis Dei iustitiæ Sancti satisfecissent, fatendum esset. 1. Eos fuisse propriè loquendo sacerdotes nostros, eorumque passionum sacrificia propriè dicta, & quidem *in arboribus*. 2. Eos fuisse vades nostros, mediatores, ac redemptores. 3. In eos credendum esse. 4. Partim satisfactione Christi, partim ipsorum satisfactionibus spem nostram niti debere. 5. Diuidendam esse inter ipsos & Christum redemptionis nostræ à pœnis temporalibus gloriam, diuidendas gratiarum actiones, immò diuidendos nos ipsos; Nam si partim Christi, partim ipsorum sanguine redempti sumus à peccatis nostris, necesse est ut partim Christi, partim ipsorum simus. Nec satisfacit responsio *solum Christum esse Redemptorem nostrum, quia solus nos redimit à captiuitate*: quos enim affirmant in carcere infernali detineri aliquot centum annos purgatorij flammis vtulandos, negabunt-ne eos esse captiuos? aut ab hac captiuitate redimi soluto à Sanctis pretio-

Quorsum igitur hæc eorum doctrina pertinere potest, nisi ut prouocentur, Christus quidem, mundi iudex, ad æmulationem, Sancti vero eius ad iram.

XXXV. Non-ne liberatio à tam grauib; tamque diuturnis pœnis quales pati animas in Purgatorio volunt salus dici & potest & debet? Si igitur illa in sanctis quærenda est, qui verum est quod Apostoli constantissimè testantur de Christo, *non esse in alio aliquo salutem, nec aliud nomen esse sub calo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4. 12.

XXXVI. Si pro peccatis nostris passi sunt Sancti, profecto passi sunt pro nobis, crucifixi sunt eorum aliqui pro nobis, atque adeo falsa est Apostoli argumentatio, 1. Cor. 1. 15. probantis non debere quemquam dicere *Ego sum Pauli, Ego sum Petri*, quoniam Paulus non est pro fidelibus crucifixus.

XXXVII. Si hominum alius pro alio satisfacere Deo potest, certè potest etiam alius pro alio puniri, ipso Deo, ut suam iustitiam à ludæorum calumnijs assereret, reclamante. Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.*

XXXVIII. Denique superfluentes illæ satisfactiones Sanctorum collectæ thesaurum efficiunt finitum, vel infinitum. Si infinitum, toti mundo redimendo sufficit, etiam à culpis & pœnis æternis; & infinitam esse necesse est cuiusque Sancti satisfactionem; ex partibus enim finitis fieri non potest infinitum totum. Si finitum, fortè iam exhaustus est tot Pontificum indulgentijs. Quid enim impedit, præsertim in tanta à multis sæculis Sanctorum penuria, & indulgentiarum largitione?

XXXIX. Si qui putantur esse in Purgatorio non possunt alij pro alijs vel pro viventibus adhuc, satisfacere, quid causæ est cur viuentes putentur & pro alijs viventibus & pro defunctis posse satisfacere: par enim est utrobique ratio, par communionis Sanctorum vis. Si possunt, & pro alijs defunctis, & pro viventibus satisfacere, credibile est eos quoque multò plus quàm satis sit pro suis ipsorum peccatis pœnam pati; sunt enim multò quàm viuentes vehemèntiore præditi charitate. Mirum igitur est si tanta per tot sæcula redundantia satisfactionum ab animabus quæ in Purgatorio excoquantur, Deo præstitarum non pridem extinxit ignem Purgatorium, Deumque ita viventibus placuit, ut nolit in posterum quemquam satisfacere, quemadmodum olim, quamprimùm quantum satis esset ad construendum tabernaculum Israelitæ obrulissent, vetuit quemquam offerre *a*. Quorsum enim Deus eiusmodi thesaurum perpetuo vel colligeret, vel asseruaret, post diem iudicij prorsus inutilem futurum. *a* Exod.

FINIS.



THESES THEOLOGICÆ
DE THESAURO ET INDVL-
GENTIIS ECCLESIAE ROMANÆ.

Præside D. JOSVE PLACEO.

Respondente ANTONIO D'YFOVR, De Larroque Gaudié Lectoris.

Pars Posterior.

THESIS PRIMA.



TSI Thesauro superfluarum Christi, & Sanctorum eius, satisfactio-
num per præcedentem disputationem sublato, sublatus etiam sit eius
usus, tamen illustrandæ veritatis causa, nec non gratiæ illius diuinæ
qua tanto errore legati sumus, visum est breuiter expendere quid de
illius usu docere soleat Ecclesia Romana.

I I. *Ad quid igitur valet ille Thesaurus?* Ad remittendum per
Pontificum indulgentias, quid? culpam lethalem? Negant omnes. Culpam ve-
nialem? negant plerique omnes. Pœnam æternam? nequaquam. Pœnam tempo-
ralem? non quamlibet: Non certè naturalem generi humano ob peccatum Adami
infligtam, nec etiam eam quæ in foro externo & contentioso siue Ecclesiastico, siue
Ciuiili, infligitur. Quam ergo? Inigtam à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ
vt Dei iustitiæ satisfiat, nec non luendam post hanc vitam in igne purgatorio.

III. Hæc Pontificiorum doctrina, cum nullo Dei verbo, nulla ratione nititur,
tum multa habet *arbitraria*. Nullo Dei verbo nititur: quo enim? nullum profertur,
nullum proferri potest. Præclare tamen Bellarminus libro 6. de Amiff. grat. & statu
pecc. cap. 3. *Non est de rebus quæ pendent à diuina voluntate aliquid asserendum, nisi
Deus ipse in Scripturis sanctis tale aliquid reuelauerit.* Hic autem agitur de rebus quæ
pendent à diuina voluntate, num Deus talem thesaurum colligi voluerit, tali consi-
lio, tali fine? num remissis culpis & pœnis æternis sibi satisfieri velit talibus pœnis
temporalibus? num denique tales pœnas temporales remitti velit, & quidem tali
modo?

IV. *Multa habet arbitraria.* Primum enim cum ea pugnant ipsa Pontificum Ro-
manorum diplomata remissionem tam culpæ quàm pœnæ disertis verbis non raro in-
dulgentia, non falsò modò & frustrà, sed periculosè etiam, si ad culpam remitten-
dam vim nullam habent indulgentiæ.

V. *Deinde*, qui potest valere iste thesaurus ad remittendam pœnam, si nihil valet
ad culpam remittendam? non enim potest dici culpa remitti, nisi quia debitum cul-
pæ contractum remittitur iuxta illud, *dimitte nobis debita nostra.* Quod autem esse
potest illud debitum? culpa? ea est debendi causa, non id quod debetur. Respiscen-
tia?

tia? ea remitti nec potest, nec debet. Quid igitur debemus ob peccata nostra? profectò nihil nisi dare pœnas. Sola igitur pœna propriè & per se, culpa non nisi ratione pœnæ remittitur.

VI. Nihil enim potest remitti nisi quod ob admissum peccatum exigi potest. Quid autem potest exigi? peccatum? culpa? vel, (in quibus culpam collocant) macula, iniuria, offensa? nihil minus. An, ne culpa fuerit admissa? id implicat contradictionem. Ne admittatur in posterum? Id etiam ab innocente & debetur & exigitur. Certè nihil potest præter pœnam exigi, nihil igitur potest præter pœnam remitti.

VII. Id colligere est ex satisfactione Christi. Fatentur eum pro omnibus culpis satisfecisse plenissimè. Quomodo? soluendo quod debebamus. Quid ergo soluit? culpas? absit, nihil certè præter pœnas. Non igitur pro culpis satisfecit, nisi quia satisfecit pro pœnis; nec per eius satisfactionem culpa nobis remittitur, nisi quia satisfactionis eius applicatione nostra fit quam nostro loco subiit pœna.

VIII. Appello hominum conscientias, quid sibi præcisè optant cum suas sibi condonari culpas supplices petunt. nihil proculdubio nisi liberationem à reatu pœnæ quem suis culpis contraxerunt. Optant etiam (inquit fortè aliquis) sibi gratiam à Deo infundi. Certè, ut ne peccent in posterum, & in signum condonati peccati.

IX. Nam, si per remissionem culpæ nihil aliud formaliter intelligunt aduersarij, quàm *infusionem gratiæ* habitualis, nã illi abutuntur remittendi verbo præter sacramentum literarum immò hominum omnium consuetudinem. Deindè, ipsis docentibus, Deus, & Adamo cum crearetur, & bonis Angelis gratiam infudit absque culpæ remissione. Rursus remittunt culpas, & Reges reis, & priuati priuatis absque infusione gratiæ. Quid quod ipsimet docent veniales culpas nulla gratiâ infusâ remitti? Eaimvero hoc ipso quod legem transgressus es, siue ea transgressio aliquid relinquat in anima tua permanens, siue nihil, reus es, pœna dignus es, remissione indiges.

X. Præterea, pugnare secum ipsi videntur cum simul ope huius thesauri condonari, & pœnas ignis purgatorii affirmant, & *culpas veniales* negant: Nam si Pontificijs indulgentijs potest aliquis liberari à pœnis Purgatorii, necesse est ut iisdem Indulgentijs liberari possit à culpis venialibus, aut certè, ut fateantur vel culpas veniales nullo modo remitti nec purgari, vel saltem ut purgentur non opus esse igne Purgatorio.

XI. Adhæc, Si nihil thesaurus ille valet neque ad pœnas æternas, neque ad temporales illas quas vocant *naturales*, neque ad illas quæ infliguntur in foro externo remittendas, nihil valet ad pœnas peccatis debitas remittendas. Aliæ enim pœnæ nullæ peccatis debentur: nam si deberentur, proculdubio infligerentur à Deo hominibus impiis ac reprobis. Sed experientia docet quibusdam hominibus valdè impiis ac reprobis nullas alias pœnas irrogari: nullæ igitur aliæ debentur.

XII. Adde quod remissa pœna æterna, remittuntur omnes pœnæ æternæ partes, quas singulas necesse est pœnas esse finitas, transeuntes, temporales; alioqui nihil prohiberet Deum credenti & poenitenti remittere pœnam æternam, ac interim eum aliquot, immò multa centena millia sæculorum pœnis afficere grauissimis. Quo nihil dici potest magis, vel Redemptoris gloriæ, vel Redemptorum consolationi inimicum.

XIII. Huc accedit quod pœnæ illæ quas naturales appellant, nec non illæ quæ in foro externo & contentioso infliguntur, vel sunt satisfactoriæ seu expiatoriæ, vel non. Si non sunt expiatoriæ, cur persuadent? populo eiusmodi pœnis peccata expiari

coram Deo? si sunt expiatoriae, quid est quamobrem ex thesauro infinito satisfactionum tantum solui non possit, quantum satis sit ad compensandas, atque adeo remittendas illas poenas?

X I V. Hic liceat nobis uti verbis & argumento Bellarmini. *Si non potest indulgentia tollere poenam qua praetor aliquem multavit ob furtum vel homicidium, quanto minus tollere poterit eam quam Deus ipse alicui decrevit?* Adde, si Papa remittere non potest poenam in foro Ecclesiastico contentioso, in quo supremam auctoritatem habere putatur, infligam, quanto minus remittere poterit eam quae in foro diuino ab ipso Deo infligitur?

X V. Agnoscit Bellarminus Pontificem Romanum non posse suis indulgentiis poenam condonare quae à Deo infligitur, tanquam Iudice in foro externo & criminoso. Quid igitur? cum Deus poenam decernit ut iustitiae satisfiat (qui maxime proprius est iudicis scopus) non eam decernit ut index? Quod est forum illud quo poenae peccatoribus externae decernuntur, quo animae damnantur ad poenas ignis purgatorii tam graues, tam diuturnas, si externum & criminosum non est? Sed fac internum esse, cur minus firmum ratumque sit Dei iudicium in foro interno quam in externo? aut quis Papae supremam dedit auctoritatem in foro Dei interno magis quam in externo?

X V I. Quid quod, quibus locis ostendere conantur Deum non semper cum culpa poenam remittere, in ijs omnibus de poena agitur nullis orationibus, nullis ieiunijs, nullis indulgentiis vitanda, ut loca illa percurenti manifestum est? vnde igitur habent, si quam remissa culpa Deus poenam infligat, eam posse remitti, & quidem non Dei ipsius, sed Pontificis Romani indulgentia?

X V I I. Sed quam tandem poenam tollit ope huius thesauri Pontificis Romani indulgentia? Respondet Bellarminus, *Illam quae in foro poenitentiario infligitur, quae voluntarie adimpletur, ad quam implendam non cogimur nisi timore Dei, & stimulo conscientiae: haec enim est per quam Domino satisfacimus; & cui succedit, nisi in presenti Domino satisfaciat, Purgatorii poena.* Primum, quis sacrificulo dedit potestatem fideles poenitentes, peccata confessos, & quibus omnes culpae condonatae sunt, afficiendi poenis, & quidem eo fine ut Dei iustitiae satisfiat? Deinde, quid Christi & Sanctorum satisfactionibus opus est ad remittendam poenam, quam, nemo nisi Presbiter infligit, nemo nisi volens suscipit? Tum, eiusmodi poenam infligi atque adimpleri, vel expedit, vel non expedit. Si non expedit, cur infligitur? si expedit, cur remittitur?

X V I I I. Praeterea, quod implere cogimur timore Dei & stimulo conscientiae, id nisi implemus, contra Deum & conscientiam peccamus. Eo-ne igitur pertinent indulgentiae, ut ne ea impleamus, ad quae nos Dei timor & stimulus conscientiae impellunt, quaeque nisi impleamus, in Deum & conscientiam nostram peccamus? Aut igitur faciunt ut ne sit peccatum quod peccatum est, aut culpam, & quidem lethalem, condonant, aut condemnationem eorum qui illis fidunt, augent. Ad primum & secundum comparatus non est superfluarum satisfactionum thesaurus. Tertium igitur verum est.

X I X. Ecquae verò tandem poenae illae sunt? preces, inquiunt, eleemosynae, ieiunia, & similia. Egregiam profecto Ecclesiam, cui preces & eleemosynae poenae sunt, & quidem tam graues, ut grauissimis & longissimis ignis purgatorii cruciatibus aequipollean! praeclaram thesauri & indulgentiarum Ecclesiae Romanae utilitatem, ut nimirum tollantur graues illae poenae, preces & eleemosynae, quibus homini verè

Christiano putabamus nihil esse posse, vel suauius vel utilius! Scilicet Dei filius passus est mortem, passi sunt etiam eius sancti ut ne impellente Dei timore, & stimulo conscientia oraremus, ieiunaremus, eleemosynas pauperibus erogaremus! Si eum ad finem passus est Christus, cur ea iniungunt & commendant quæ ut tolleretur passus est? Si eum ad finem passus non est, cur ad eum finem passionis eius accommodant?

XX. Certè Christus non satisfecit nisi pro poenis debitis peccato. Sunt-ne in eo numero censenda preces & eleemosynæ? valent inquit, thesaurus & indulgentia ad remittendas poenas temporales quas Deus culpis remissis retinet. An igitur culpis remissis, ex poenis, quas homines erant commeriti, retinet istas, scilicet preces & eleemosynas? erat-ne lex quæ poenas eiusmodi peccatoribus comminaretur? aut qui damnantur impii & reprobi, ad eiusmodi poenas damnantur? etenim applicatione satisfactionum è thesauro depromptarum immediatè & principaliter liberamur ab iis poenis pro quibus satisfactiones illæ sunt præstitæ, & quas eramus peccando maximè commeriti. Liberamur autem, si credimus Bellarmino, *immediatè & principaliter* ab illis scilicet poenis, præcibus, eleemosynis, &c. à poenis verò purgatorii tantummodò *mediatè, consequenter, & quasi secundariò*.

XXI. Cæterum, si Deus unicuique fidei poenas partim remittit, partim non remittit, sed ut sibi satisfiat exigit, id fit vel promulgatione Evangelii, vel instituto de vnoquoque fidei proprio iudicio. Neutrum dici potest. Non primum, pollicetur enim Evangelium credenti, resipiscenti, peccata confitenti remissionem omnium peccatorum nulla addita limitatione, nulla adhibita distinctione poenarum, nullo constituto inter peccatores aut fideles discrimine. Nec secundum, fieret enim eiusmodi iudicium vel ante, vel post mortem. Ante mortem nemo iudicatur, castigantur quidem fideles nonnunquam à Deo, ut filii à patre, non ne eant in purgatorium, sed ne cum mundo damnentur, non ut satisfiat Dei iustitiæ, sed *ad ipsorum commodum, ut participes fiant sanctitatis ipsius*, sed ante mortem non sistuntur tribunali iudicis Dei. Fit, (inquit fortè aliquis) iudicium illud non à Deo immediatè, sed à Sacerdote. Quis verò Sacerdotem constituit iudicem? aut rebus ad rem tantam necessariis instruxit? scit-ne quot quantaque sint cuiusque peccata? quantum quodque peccatum mereatur poenarum temporalium? quid Dei iustitia ut sibi satisfiat requirat? quis seriò vel non seriò credat, aut resipiscat? quis seruandus, quis damnandus sit? quanta quisque seruandus in gratia sit apud Deum? & cum sua cuique iudici lex posita esse debeat ad quam iudicium exigit suum, habent ne aliquam eiusmodi legem diuinam Sacerdotes? est-ne illis reuelatum quale sit Dei de quolibet Christiano iudicium? Quid quod imperatas à Sacerdotibus poenas suis Pontifices indulgentiis sæpe non remittunt, sed ratas habent? remittunt igitur aut nullas, aut alio quàm Sacerdotis iudicio constitutas vel inflictas.

XXII. Post mortem anima Dei iudicio sistitur: sed primùm quale de ipsa iudicium fiat vel ipsos Pontifices fugit. Deinde iudicium Dei non subiicitur Pontifici Romano, ut hic *iudiciaria absolutio*, hoc est, indulgentia sua possit emittere è carcere quos ille in carcere conclusit, & eximere è poenis quos ille poenis afficiendos censuit. Tum, vel absolutum est illud Dei iudicium, vel cum conditione. Si est absolutum, dabitur effectum quicquid intercedat. Suspendi autem à conditione iudicium Dei de anima separata à corpore, & quidem conditione præstanda, non ab ipsa illa anima quæ iudicatur, sed à viventibus sententiæ de ipsa lata ignaris, quis credat?

XXIII. Præterea, si eiusmodi animæ applicanda est satisfactio Christi, quis id facilius & melius facere potest quàm Christus, qui pro ea satisfecit & cuius iudicio

fitur: vter eiusmodi animam amat impensius, Christus qui pro ea mortem passus est, an Pontifex Romanus qui eam fortè non nouit? Si igitur Christus magis & potest & vult illi suam satisfactionem applicare, quis credat eum malle id fieri Pontificis Romani indulgentia, quàm sua.

XXIV. Tenemus nunc ad quid valeat thesaurus Ecclesiae Romanae: deinceps cuius sit eum dispensare & quomodo, considerandum est. Aiunt auctoritatem huius thesauri dispensandi, ac proinde indulgentias concedendi diuinitus datam esse pastoribus Ecclesiae, ac potissimum residere in Pontifice Romano. Vt id probent proferunt loca tria, Matt. 16. 19. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum in caelis,* & Matth. 18. 18. *Quaecumque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Ioh. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* His verbis inquit, promittitur Petro potestas soluendi omnia vincula, qua impedire possunt homines à consecutione salutis aeternae. Sunt autem vincula varia, verbi gratia, culpa, poena, censura, legis, voti, iuramenti. Ergo ab his hominibus potest solui S. Petrus & eius successores. Vnde autem constat Christum loqui de potestate soluendi ab his omnibus vinculis? Resp. Ex eo, quia Christus non astringit sua verba ad aliquod vinculum in particulari. En quo fundamento Pontificia auctoritas, & indulgentiae nituntur?

XXV. Eodem argumento si quis concluderet Papam soluere posse à vinculis Matrimonii consummati, poenae naturalis, & poenae inflictæ in foro externo, quid responderent, nisi hæc vincula esse insolubilia? idem ferant à nobis responsum, vinculum poenae temporalis, si quam remissâ culpâ Deus non condonat, esse prorsus insolubile. Rursus, si quis eodem argumento concluderet posse Pontificem Romanum Indulgentiis suis soluere vincula culparum & poenarum æternarum, quid responderent? alias esse rationes soluendi illa vincula. quid prohibet nos idem ex ipsorum sententia respondere? solui poenae temporalis vinculum aliis mediis, nimirum, contritione extra Sacramentum, attritione in Sacramento Poenitentiae, sacrificio Missæ, &c. Itaque nihil opus esse Indulgentiis.

XXVI. Quid si addamus (id quod res est, & iam multis argumentis probatum) vinculum eiusmodi poenae temporalis nullum omnino esse? Annon subtracto hoc fundamento cum illa argumentatione corrueant indulgentiae, Iubilei, satisfactiones humanæ quæ prope infinitæ sunt, Purgatorium, necnon Missæ sacrificium, cuius etiam ad tollendas culpas & poenas æternas vim nullam esse fatentur. Ex quo intelligere est maximam partem Pontificiae religionis circa quæstuosum istud poenae temporalis inuentum occupari. Culparum & poenarum æternarum facilis & gratuita, istarum vero poenarum temporalium operosa admodum & cara condonatio est.

XXVII. Hic libenter ex iis quæstuerim, num loca in quibus omni credenti, vel peccata confitenti promittitur generaliter peccatorum remissio, Vt 1. Ioh. 1. 9. Act. 10. 43. & 13. 38. 39. &c. ad solas culpas & poenas æternas restringi debeant, an verò extendi etiam ad poenas temporales? Si prius eligunt, quid causæ est cur non pariter tria illa memorata loca ad culpas & poenas æternas restringant? Si posterius, promittitur credenti vel peccata confitenti, tam poenae temporalis quàm poenae æternæ vel culpæ remissio. Cur igitur ad illam remittendam potius quàm ad istas opus est Indulgentiis Episcopi Romani?

XXVIII. Denique, quid tribus illis locis promittebatur Apostolis nisi, cum duxerent partes doctrinae ipsorum, vna, quæ declarat quid sit solutum seu licitum, & contra quid sit ligatum seu vetitum, altera quæ declarat quibus peccata sint, vel non sint, condonata à Deo, vtramque ratam fore in caelis. Itaque vtrique, tunc ac-

quiescere fideles ad consummationem vsque sæculorum, & posse & debere?

XXIX. Sed fac collatam fuisse Apostolis auctoritatem Indulgentias concedendi. An non illi promulgarunt toti mundo, Dei & Christi nomine, Indulgentias plenarias & perpetuas, quibus omni credenti & resipiscenti peccata omnia condonantur, omni incredulo vel impœnitenti retinentur: quæ Indulgentiæ cum sint ratæ in cælis, infirmari non possunt. Quid opus est alijs Indulgentijs? Fac alicui Papam remissionem peccatorum indulsisse. Is, aut verè resipuerat, crediderat, confessus fuerat Deo peccata sua, vel non. Si prius, hoc ipso ei iam fuerat à Christo, & ab Apostolis Christi omnium peccatorum indulta remissio. Si posterius, frustrà ei condonantur à Pontifice Romano peccata, cui à Christo eiusque Apostolis retinentur.

XXX. Quis credat in Euangelio tribui Pontifici Romano potestatem dispensandi thesauri redundantium satisfactionum ad remittendas pœnas temporales, cum in eo ne mentio quidem vlla fiat, vel huius thesauri, vel remissionis pœnarum culpis remissis retenturam, vel Pontificis Romani, saltem in bonam partem?

XXXI. Liceat nobis hoc loco quærere, num Christi satisfactio cuius applicatione culpæ & pœnæ æternæ remittuntur, collecta fuerit in thesaurum, nec ne? causam nullam video cur eius superfluum colligi in thesaurum debuerit ipsâ neglectâ. Si igitur in thesaurum collecta fuit, vel idem est in quo recondita sunt eius superflua, vel alius. Illud dici non potest, quoniam, neque quicquam in eo positum docent præter superfluas satisfactiones, & eius clauæ ac dispensandi auctoritatem soli Pontifices habent. Hoc verò absurdum est; Sic enim diuisa esset Christi satisfactio in partes duas, distributas in duos thesauros, quorum alter ipsam Christi satisfactionem meracam, alter satisfactionis Christi partes superfluas Sanctorum satisfactionibus dilutas haberet; ille ad culpas & pœnas æternas, hic ad solas pœnas temporales condonandas valeret: ille dispensaretur à quibuscumque Sacerdotibus, hic à solis Pontificibus. Ac quærendum esset quis ausus fuerit soluere & secare satisfactionem Iesu Christi in duas partes, quis partes illas distrahere à se inuicem, quis colligere in duos thesauros, quis pretiosioris dispensandi auctoritatem & clauæ Sacerdotibus concedere, minus verò pretiosi referuare & attribuire Pontificibus? Quæri etiam iure potest, cur qui plus possunt Presbyteri, nempe, condonare culpas & pœnas æternas, non possint quod est minus, nempe, condonare pœnas temporales?

XXXII. Sed his missis alia via eos aggrediamur. Aiunt satisfactionem vnus alteri posse applicari. Satisfaciat igitur in hac vrbe aliquis pro alio suo quodam amico siue viuente siue mortuo. Nihil opus erit ad satisfactionem illam applicandam Pontificis Romani Indulgentijs. Cur igitur ijs opus est ad applicandas Christi vel Sanctorum satisfactiones siue viuis, siue mortuis? cur non sufficit, cum eius qui satisfacit voluntas, tum Dei cui satisfactum est, pro eiusmodi vel viuo vel mortuo satisfactionis acceptio?

XXXIII. Aiunt Indulgentiam esse *iudiciariam absolutionem*. Quo posito sequitur Pontificem Romanum esse iudicem Deo superiorem. Inferior enim Iudex reum sententia sua absolvere non potest à pœna quam ei infligendam esse Iudex superior censuit.

XXXIV. Aiunt iudiciariam illam absolutionem habere *annexam solutionem ex thesauro*, hoc est, Pontificem ex thesauro *soluere*, & *offerre Deo* tantum satisfactionis quantum satis sit ad compensationem pœnarum quas condonat. Si ita est, duas in suis Indulgentijs Papa sustinet personas oppositas, vnâ rei, aut saltem vadis sol-

12 *Theses Theologicae. De thesauro & Indul. Eccl. Romana.*

tem vadis soluentis pro reo, alteram iudicis solutionem probantis & admittentis.

XXXV. Videntur autem sic loquendo egregie nugari: Distingunt enim satisfactionem à solutione satisfactionis (illa facta est à Christo & Sanctis eius, hæc fit à Pontifice Romano: illa facta est olim, hæc aliquot post seculis & fit & fiet.) Perinde ac si satisfactio res esset, vt moneta, permanens, quæ reponi in thesauro, ad multa sæcula seruari, in varia frustra diuidi, & frustatim solui posset. Atqui satisfactio nihil aliud est in hoc negotio, quàm ipsa pœnæ solutio. Satisfecit pro pœnis debitis Christus luendo pœnam illis valere æqualem. Soluit igitur Deo Pontifex Romanus quod ei iam solutum est, quod accepit & probauit, immò ipsam solutionem olim factam, quo nihil fingi potest absurdius.


XXXVI. Porro si Pontifex Romanus soluit Deo pro viuientibus & defunctis si soluto pretio virosque redimit à pœnis, redemptor est viuorum & mortuorum, mediator est inter Deum & homines tam viuos quàm mortuos, viuorum & mortuorum vas est.

XXXVII. Cærerùm quid est illa solutio, & qua in actione sita est? non enim manuprehendit satisfactiones, hoc est passionem Christi & sanctorum, & eas offert Deo. Quid igitur facit Pontifex Romanus? oratne Deum vt accipiat passionem quam olim ei Christus obtulit? sic posset alius quilibet ex thesauro soluere. Facit ne consensu suo potestatem Deo capiendi ex satisfactionibus olim ipsi exhibitis quantum satis sit ad compensandas pœnas, quas erat alioqui talibus hominibus infligendus? quid cogitari potest magis vel impium, vel absurdum? Equidem qua in actione posita sit ista solutio conijcere non possum.

XXXVIII. Præterea, quod soluit ex thesauro Pontifex non est amplius in thesauro simul ac solutum est. Vbinam est igitur? habet ne Deus alios loculos in quibus id reponat? Adde quod frustra soluit Deo aliquid ex thesauro, si ea solutione non magis satisfacit Deo, quàm si nulla esset. Atqui non magis satisfacit: à quo enim magis Deo satisfaceret? à Christo, & à Sanctis? non propterea plus, aut passi sunt olim, aut nunc patiuntur. Ab ipso Pontifice Romano? Addi igitur Christi & Sanctorum satisfactionibus suam ipsius satisfactionem, & cum solutionem distinguant à satisfactione, si ponas solutionem esse satisfactionem, ipsa quoque illa solutio soluenda esset Deo, & sic abiretur in infinitum.

XXXIX. Huc accedit quod Christi satisfactio sacrificium est. Itaque offerre Deo satisfactionem Christi, est illi offerre sacrificium. Si quis respondeat offerri Deo tantum particulam satisfactionis Christi à Pontifice concedente Indulgentias, reponam igitur oblationem illam esse particulam oblationis sacrificij. Succurrunt aliæ rationes, sed infinitum esset omnes persequi.

FINIS.



THESES THEOLOGICÆ DE FIDE.

Pars Prior, Quæ est,

DE NATURA FIDEI.

Præfide D. MOSE AMYRALDO,

Respondente SAMVELE LANGLEO, Normano.

THESIS PRIMA.



VVM hominum salus sit in vno Christo, vñ verò ad Christum sit in vna fide, quanti apud nos est salus æterna, tanti fidem esse oportet. Vt autem sanè multi sunt qui bona firmaque valetudine vtuntur, bona valetudo tamen quâ in re propriè sita sit, & ex quibus causis proficiscatur, disertis verbis explicare non possunt; sic etiam multi sunt veræ fidei non expertes, qui neque naturam eius, neque verò causarum ipsius indolem habent satis distinctè cognitam atque perspectam. Decet tamen omnes verè Christianos, ac præsertim eos qui studia sua aliorum vtilitati comparant, diligenter in id incumbere, vt neutra rerum illarum in religione ignoretur. Quamobrem hic duplicem disputationem instituimus: Vnam, quæ est de natura fidei: Alteram, quæ est de eius causa efficiente.

II. Vt a priore ordiamur; quandoquidem fides est habitus aliquis, naturæ autem habituum cognitio pender, partim ex cognitione eorum obiecti; partim ex cognitione subiecti & modi quo subiecto insident; partim denique ex eorum actibus atque operationibus præcipuis, sunt hæc tria nobis in hac disputatione percurrenda.

III. Et ad obiectum fidei quod attinet, confessum esse videtur apud omnes Christianos, id esse in vno Verbo Dei constitutum. Verbum autem Dei illud est, cuius revelatio facta fuit extra ordinem, & ratione supernaturali. Nam rerum natura quidem, quia Dei virtutes oculis veluti conspiciendas exhibet, penè easdem quæ in verbo reuelatur, *ῥῶπν* generare potest, si quis ad eius contemplationem, rectam rationem conuenienter adhiberet; Fidem haud quaquam, si fides propriè sic appelleretur. Ad *ῥῶπν* enim à principijs ad conclusiones ratiocinando prouehimur: Fides, etsi ratiocinationes non excludit, potius tamen nititur auctoritate loquentis.

IV. Verbum Dei tametsi olim potuit esse partim *ἀρχαῖον*, partim *ἐργατικόν*, cum nondum erant publicæ Religionis Christianæ tabulæ in vnum corpus coagmentatæ; vnum tamen *ἐργατικόν* nunc agnoscimus, quod possit esse fidei idoneum fundamentum. Scilicet si quod fuit olim Dei verbum quod literis consignatum non fuerit, vt non erat neque ad religionis constitutionem, neque ad salutem necessarium, iam pridem vel ita obsoleuit & ex memoria hominum oblitteratum est, vel erroribus ac rebus nihili

permittum; ut vix ac ne vix quidem absque ope verbi scripti discerni & dijudicari queat.

V. Porro verbum illud scriptum vel obijcitur hominum animis confusè; vel distinctè & explicatè. Et confusè quidem, cum nihil aliud de eo docemur, nisi tali libro verbum Dei contineri, cui fides adhibenda est in omnibus: distinctè verò, cum ea quæ libro illo continentur, nobis explicantur sigillatim, ut illa mente comprehendamus. Ut autem qui nihil vel in Geometria, vel in Philosophia, vel Medicina compertum habet, nisi hunc librum esse ab Euclide conscriptum, istum ab Aristotele, tertium denique ab Hippocrate elaboratum, neque Geometra est, neque Philosophus, neque verò Medicus: sic qui vaga illa atque indeterminata Verbi Dei cognitione contentus est, dignus non est qui habeatur in censu fidelium atque Christianorum. Usque adeò ut ne verè quidem credat librum istum esse diuinum. Nisi enim verbi illius incomparabilis excellentia per se hominibus innotuerit (innotescere autem qui potest nisi ex characteribus diuinis, in quibus ea quæ admirabili volumine continentur, caelestem originem præ se ferunt) nemo persuasum habet illud esse diuinum, nisi ex hominum testimonio. Fidem igitur eatenus implicitam, nullam fidem esse existimamus.

VI. Res quæ verbo Dei continentur, si quis ad summa capita referre vellet, id sic præstare posset, ut alias pertinere diceret ad anteaكتورum narrationem, alias ad futurorum prædictionem, alias ad declarationem dogmatum quæ nullam temporis differentiam spectant, ac denique alias ad promissiones: quæ omnia fidei obiectum vniuersè constituunt.

VII. Et anteaكتورum quidem narrationes ad fidei obiectum pertinere, testis est Apostolus qui nos dicit. *α πιστι νεσιν χριστου τες αιωνας εμμελεθεις*. Futurorum prædictiones, quæ à Deo profectæ sunt, adeò partem aliquam obiecti fidei constituunt, ut ideo Noachum idem Apstolus fidelem appellet, quod denuntiationi diluuii credidit, quam qui putarunt esse falsam, idcirco ab eo condemnati esse dicuntur. Dogmata diuinitus reuelata, quæ nullam temporis differentiam spectant, ita sunt fidei obiectum, ut in Scriptura Sacra designentur fidei nomine. At præcipuum tamen & maximè proprium obiectum fidei, situm est in promissionibus. *α Heb. 11.3.*

VIII. Promissiones diuinæ sunt duorum generum. Aliæ enim sunt absolutæ, aliæ verò conditionem habent annexam. Et absolutæ quidem illæ sunt, quarum euentus nullatenus pendet ab vlla re antecedanea, quam creaturæ præstare debeant. Talis est illa promissio. *Inscribam leges meas eorum mentibus*, &c. Tantum enim abest ut eius executio pendeat ex alicuius conditionis præstatione, ut fides, quæ est Evangelij conditio, non aliunde generetur, quàm ex eo quod ista promissio datur effecta. Quæ verò habent conditionem adiunctam, pendunt, respectu executionis, ex conditionis præstatione.

IX. Conditionatæ promissiones, in duas itidem species diuidi possunt. Aliæ enim sunt particulares, & quibusdam singulariter destinatæ: aliæ verò communes, & quæ pertinent ad omnes indiscriminatim. Et inter particulares quidem, præcipuè memorabiles sunt quæ spondent effectus quosdam miraculosos, & vim totius naturæ superantes, ministerio tuo productum iri, dummodo tu neque Dei voluntatem in eo, neque verò potentiam reuoces in dubium. Pendere enim istiusmodi promissionum executionem ex vtriusque illius rei persuasionem, palam est ex eo quod Apostoli cum erant *δυνατοι*, miracula quædam præstare non potuerunt, Christus verò, ut montes transferre possent, ab ijs saltem fidei cantillum postulauit.

Communes,

X. Communes, duæ sunt præcipuæ. Vna quæ ad Legem spectat; Altera quæ ad Euangelium. Et Legalis quidem, hocce verbo comprehensa *hoc fac & viues*, quæque iustificationem & vitam perpetuam spondet, si omnia legis mandata obserues, est quidem eatenus fidei obiectum, quatenus & certum est, & diuinitus reuelatum, cum promissionem illam esse à Deo factam, tum si quis esset qui legem imple-ret, futurum esse ut ex lege remunerationem nancisceretur. At non est ita fidei obiectum, ut quisquam persuasum habere debeat, sese remunerationem istam esse consecuturum. Pugnat enim cum ea persuasione conscientia peccati, quæ nos omnes reos peragit.

XI. Promissio Euangelica hisce verbis & similibus continetur. *Si credis, saluus eris.* Quorum verborum is est sensus. Offero tibi iustificationem & vitam æternam in Christo, eo animo ut tu illam certissime consequaris, modò tibi firmissimè persuadeas rem ita se habere, & Christum esse Dei filium, & eius Patrem esse usque adedò misericordem atque potentem, ut iustificationem atque salutem concedere tibi, & velit & possit.

XII. Quandoquidem autem obiecta illa, natura sua distincta sunt, dubitari certè non potest quin distinctos atque separatos habitus generare queant, si separatim offerantur. Et generari quidem illam fidem quæ nascitur ex promissione communi conditionata, cum tamen ea quæ nascitur ex promissione particulari non generetur, perspicuum experientia facit. Nam quotusquisque vel est vel fuit è numero fidelium, cui donum sit indultum patratorum miraculorum? Contrà, generari fidem ex obiecto particulari citra eam quam obiectum commune facit, palàm est ex eo quod Christus dicit multos esse futuros, qui se se miracula patrassè gloriabuntur, quos tamen arcebit à se nouissimo die, tanquam ignotos. Quidni ergo pariter creati possit ea fides quæ vel rerum futurarum prædictiones amplectitur, vel præteritarum narrationes admittit, seorsim ab ea quæ vel dogmata comprehendit, vel recipit promissiones? Certè, ut postmodum videbimus, fides nascitur ex impulsu obiecti ad facultatem obiecto recipiendo conuenienter dispositam atque comparatam. Quum igitur omnia illa obiecta & natura diuersa sint, & diuersis admodum characteribus designata, facultatis autem dispositio pendeat ex vnus Dei efficacitate, nihil prohibere videtur quominus Deus efficacitatem illam suam ita attemperet, ut facultas sit ad vnum genus obiectorum agnoscendum atque admittendum accommodata, ad alterum minimè.

XIII. Verum etsi varia, obiecta, varios habitus fidei generare apta nata sunt, si tamen duo aut plura obiecta pariter in facultatem admittuntur, videtur rerum naturæ conuenientius esse si statuamus, vnum fidei habitum generari ex pluribus obiectis compositum, quàm plures atque secretos à se inuicem. Equidem quia Christi discipulis duo illa obiecta pariter oblata sunt, commune scilicet, quod salutis spem facit, & particulare, quod effectus miraculosos spondet, non solet aliter Christus eorum respectu de vtraque fide loqui, quàm si vnus esset idemque habitus in eorum animis ingeneratus. Scilicet tametsi lux Solis multum differat à luce Lunæ, attamen si quando in aere permiscetur & lumen vnum efficiunt, & vnica visione percipiuntur. Sic duo diuersa fidei obiecta simul oblata, ita diuinitatis suæ veluti characteres miscent atque confundunt, ut vnico penè atque indiuisibili facultatis actu comprehendantur.

XIV. Cæterum si habitus fidei diuersi atque separati, nomina sortiuntur ex obiecti quisque sui natura, ut fides illa iustificans appelletur, quæ promissionem ius-

tificationis habet pro obiecto, & fides miraculorum, quæ talem promissionem amplectitur: non modo fides historica illa appellari poterit, quæ rerum antea actarum narrationes intuetur, sed & prophetica illa, respicit futuros euentus, & doctrinalis quæ recipit ea dogmata quæ nullis temporum differentiis discriminantur. At nemo hæc fides habitibus ista nomina indidit, & historica atque iustificans fides, non ex obiecto solum, sed etiam ex ea ratione qua obiectum facultati insidet, nomenclaturam suam nactæ esse videntur.

XV. De eo igitur nunc agamus. Subiectum cui habitus fidei innascitur atque inheret, facultatem eam esse quæ in homine intellectus appellatur, debet esse extra controuersiam apud omnes, qui saltem rem istam considerant non omnino oscitanter. Nempe cum habere fidem nihil aliud sit quàm credere, credere autem sit esse persuasum de veritate alicuius rei, (& *πίστις* sanè est à *πειθεσθαι*, *πίθεσθαι* autem, & persuaderi non differunt nisi sono) fieri nequit quin fides pertineat ad intellectum. Nam & veritas est obiectum intellectus: & persuasio non fit aliter quam admittendo aut introducendo in intellectum eas rationes, eaque argumenta, quibus vnaquæque res se se veram esse demonstrat.

XVI. Neque quidquam aliud è Scriptura Sacra colligi potest, siue vocabula propria, siue locutiones figuratas atque metaphoricæ adhibeat, quàm fidei in animis nostris generationem describit. Nam vt à propriis vocabulis incipiamus, appellat obiectum *ἀληθείαν*, facultatē *νῦν* & *νόεον* & *διάνοιαν*, & *καρδίαν* (cor enim & in Scriptura & apud alios bonos auctores, mentem denotat, quia olim ἡ γνώμη τῆς αὐτῆς ψυχῆς ἐν τῇ καρδίᾳ καὶ τῆς καρδίας εἶναι vt loquitur Hippocrates, atque inde τῆς ἀλλῆς ψυχῆς ἀρχὴν putabatur,) obiecti ad facultatem appulsum appellat *διδασκαλίαν*, *πειθᾶ*, *ἐπιστήμην*. Effectum ex eo appulsum ortum nominat *γνώσιν*, *σοφίαν*, *φρόνησιν*, *ἐπίγνωσιν*. Statum denique eorum qui ista omnia consecuti sunt, ita describit vt eos appellet *φρονίμους*, intelligentes, sapientes, & similibus nominibus, cui statui opponitur conditio incredulorum, qui stulti, insipientes, & similibus appellationibus indignantur.

XVII. Metaphoricæ locutiones quis enumerare posset? Aliæ enim metaphoriæ ducuntur ab oculis: & tum obiectum appellatur lux, facultas *ὀφθαλμοί*, ac ne quis hæsitet quinam illi sint, *ὀφθαλμοί τῆς ψυχῆς*; obiecti ad facultatem applicatio, *φωτισμός*; actus facultatis circa obiectum, visio; status atque conditio, lumen; nam quid frequentius est in Scriptura quam esse in luce, ambulare in luce? Quibus opponuntur, tenebræ, cæcitas oculorum, *πᾶσις τῶν ὀφθαλμῶν*, & alia istiusmodi propemodum infinita. Aliæ desumuntur ex alijs sensibus, & tum fides appellatur *ἀκοή*, *ὁσφρησις*, *γεύσις* & similibus nominibus. Sensuum autē operationes quatenus obiecta sua dijudicant conveniunt cum operationibus intellectus, non verò cum actibus voluntatis, aut cuiuslibet alius appetitus. Quod præter rei euidentiæ, confirmatur testimonio Pauli, qui *ᾤδοντες* & *ὁμολογούντες* coniungit tanquam vocabula rem eandem significantia, & alterius Apostoli qui facultatem qua Euangelium amplectimur, comparat sensibus exercitatis, quibus tribuit *ὁσφρησιν*.

XVIII. Ratio qua fides isti subiecto insidet, considerari debet, vel ἐν τῇ ἐκδόσει habitus, vel eius ἐκδόσει. Et *ἐκπαισις* nobis quidem nunc est amplitudo atque perspicuitas cognitionis earum rerum quæ sunt in obiecto; *ἐπίπαισις* verò, vehementia atque altitudo radicationis, vt loquuntur, in subiecto. *Εκπαισις* autem certè pendet vt maximè ex obiecti ipsius reuelatione. Est enim mensura reuelationis, fidei mensura eatenus, quod contingere quidem potest, atque adeò solet, vt fides non peruideat ea omnia quæ sunt in obiecto declarata, & prout declarata sunt: at contingere non po-

rest vt plus videat quàm quod est reuelatum, siue obiecti partes, siue cuiusque partis euidenciam perspicuitatemque spectemus. Est scilicet fides vt mentis $\delta\psi\epsilon$, reuelatio vt lux & quæ per lucem visibilia facta $\tau\eta\delta\psi\epsilon$ obliuiscuntur, quæ $\tau\eta\delta\psi\epsilon$ ita terminant, vt nihil videre queat ulterius.

XIX. Quando igitur Deus olim locutus est $\mu\alpha\lambda\iota\sigma\tau\alpha\iota\varsigma\ \&\ \mu\eta\tau\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\varsigma$ ministerio Prophetarum, nunc verò nos allocutus est per proprium Filium, qui longè lucis & reuelationis vberiorē copiam secum attulit, fides eorum qui vixerūt sub Veteri Testamento potuit esse nostra obscurior & magis implicita sine culpa, si ad obiecti ipsius mensuram exacta fuit. Nostra eorum respectu, obscura & implicita neutiquam esse potest sine grauissima culpa, quia obiectum nobis propositum est multis partibus auctum, multoque lucidius atque splendidius. Quamobrem non possumus satis de mirari eorum insanientem sapientiam, qui fidem melius per ignorantiam quàm per scientiam describi aut definiri autumant. Perinde enim est ac si vel lucem definirent per tenebras, vel visum per cæcitatem.

XX. Verum quia quæ est reuelationis sub Veteri Testamento factæ ratio ad nostram, eadem ferè est reuelationis nobis factæ ratio ad id quod venturo sæculo futurum est, in ea comparatione fides nostra, etiam eorum qui vel maximos progressus in cognitione religionis fecerunt, eatenus $\epsilon\kappa\ \mu\epsilon\tau\epsilon\varsigma$ est, & obscura atque inuoluta aut implicita dici potest. Veterum igitur respectu assequuti sumus $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\sigma\tau\eta\tau\alpha$ quam illi adepti non erant. Nostri ipsorum, quales olim futuri sumus, respectu, sumus $\mu\alpha\lambda\iota\sigma\tau\alpha\iota\varsigma\ \tau\hat{o}\ \tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\sigma\tau\eta\tau\alpha$ expectantes. Quamquam, si mensura cognitionis quæ veteribus obtigit, salutaris esse potuit, multo magis nostra talis esse debet existimari.

XXI. Habitus illius vehementia atque radicatio, quia vt posteriore disputatione videbimus, non potest aliunde esse quàm ab efficacitate operationis diuinæ, operatio autem illa varia est atque multiplex, consequens atque consentaneum est, vt mens humana eo diuersimodè afficiatur.

XXII. Sunt igitur nonnulli in quibus Deus nullam efficacitatem exerit, nisi quod eorum facultates naturales conservat, vt cum illis Evangelium annunciat, intelligere queant $\tau\hat{i}\ \tau\hat{o}\ \lambda\epsilon\gamma\acute{o}\mu\epsilon\nu\omega$, quod qui sunt aliquanto stupidiores, præstare non possunt. Ij quidem & audiunt id quod dicitur, & quantum id fert facultas naturalis, intelligunt; at non modò nullum ei præbent assensum, sed sæpe etiam illud odio prosequuntur.

XXIII. In alijs Deus præstat aliquid amplius. Quum enim obiectum in Evangelio propositum, tria ista habeat, $\delta\ \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\iota\varsigma\ \tau\hat{o}\ \chi\epsilon\kappa\alpha\iota\sigma\mu\omega\varsigma$, $\delta\ \eta\delta\delta$ & $\tau\hat{o}\ \kappa\alpha\lambda\acute{o}\nu$ seu $\alpha\gamma\alpha\theta\hat{o}\nu$, primum autem referatur ad mentem theoreticam, reliqua duo ad intellectum practicum & appetitum spectent, ita Deus operationem suam dispensat in nonnullis, vt prima illa species $\tau\hat{i}\ \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\iota\varsigma$ in mentem theoreticam aliquatenus insinuetur, cum tamen reliquæ duæ ad alias facultates non perringant. Et quia theoretica illa veritatis Evangelicæ cognitio sæpè numero professionem externam post se trahit, professio autem externa veram fidem mentitur, tales credere nonnunquam dicuntur. Quamquam sanè vera fides non est, sed si ex similitudine appellationem sortiri potest, nihil prohibet quominus historica nuncupetur. Scilicet veterum historiarum narratione atque recitatione delectamur ac tangimur; at non eo vsque tamen, vt eorum causâ vel leuissima pericula subire velimus, quia nihileas ad nos attinere putamus. Eas igitur legimus vt solemus picturas contemplari, quæ si nos nonnihil commouent, & motus animi levis est, & statim euanescit.

XXIV. Nonnulli sunt præterea in quibus non mens theoretica tantum, sed

etiam appetitus mouetur specie τῆς χρησιμῆς, quæ in Euangelio manifesta est. Quum enim sit insitus à natura omnibus hominibus non sensus religionis modò, sed etiam immortalitatis atque beatitudinis sempiternæ veluti fames, mirum non est illam Euangelij partem quæ beatitudinem tam luculentè spondet, auidè arripi ab his in quorum animis diuina efficacia nonnullam opinionem veritatis illius concitauit. Vnde fit vt non eam profiteatur apertè duntaxat extra periculum, sed etiam cum suboritur periculum aliquod, quandiu se se resque suas aduersus Euangelij hostes ea viâ atque ratione tueri possè arbitrantur, quam homines in cæteris rebus sequi amant, soleant esse pugnaces. At vbi ingens aliquod discrimen ingruit, ex quo nullus datur exitus, nisi per cruces, ignominiam, & iacturam rei familiaris, tum concidit omnis ille ardor atque impetus, quo antea ferebantur. Quid ita? quia neque τῆς καλῆς species, quæ sola constanter adhærescere potest, eorum mentibus affulsit, neque verò τῆς χρησιμῆς idea, quæ nonnihil eos commouerat, fatis altè insedit, vt boni futuri spes præualeat malo & periculo præsentis.

XXV. Denique nonnulli reperiuntur in quibus non modò τὸ ἀληθές, aut τὸ χρήσιμον, sed etiam τὸ καλὸν quod in Euangelio fulget, ita menti practicæ obijciatur, vt non penitus quidem se se in eam induat, sed tamen ita se se ad eam appellat, vt non modò cæteris imponant, sed etiam semetipsum falsa fidei opinione ludificentur. Nam Euangelij præstantiam ab omni parte agnoscere sibi videntur, & consolationis quam parit, non sunt omnino expertes, & sanctificationis tentamenta quædam experiuntur, & spe ita ad cælum assurgunt, vt τὰς διὰ μέλλοντος αἰῶνος gustasse prædicentur. Quod ergo non sunt verè fideles, id non inde provenit quod non illis Euangelium obijciatur sub omnibus illis ideis, quæ veram fidem generare aptæ natæ sunt, sed quod obiectum se se penitus non insinuat, neque ita mentem imbuit, quin color animæ illutus, aut abstergeatur lapsu temporis, aut vehementi aliqua animi perturbatione excutiat.

XXVI. Est igitur ea vera fides, verèque iustificans, non respectu obiecti sui tantum, quia promissiones amplectitur, quibus iustificatio continetur, sed etiam respectu radicationis in subiecto, quæ & Euangelium tribus illis characteribus insignitum apprehendit, & ita non theoreticam modò, sed etiam practicam mentem afficit, vt vel in omnes vel penè in omnes facultates illarum partes penetret, atque ex ijs cum tenebris à natura insitas, tum peruersas ἐξ ἐκείνων malis actionibus comparatas, dispellat atque discutiat. Adeo vt similis sit non colori quem extremæ animæ faciei Euangelij prædicatio aliqua vi comitata Spiritus alleuerit, sed tinctoræ quæ vsque ad imas vtriusque intellectus tam practici quàm theorectici partes ope efficacissima Spiritus Dei descendit.

XXVII. Quid ergo, inquiet aliquis, non different vera fides & fides temporaria, nisi gradibus quibusdam τῆς ὑπάρσεως? Non specie ipsa discriminabuntur? Cerdè quando idem obiectum offertur, atque applicatur ad easdem facultates, iisdem characteribus denotatum, idque efficacia eiusdem Spiritus, eadem, si minus vehementia, saltem ratione operantis, adeo vt διὰ περιστάσεων & illuminati esse dicantur, & gustasse donum cæleste, & participes esse facti Spiritus Sancti, & bonum, gustasse Dei verbum, vna cum virtutibus sæculi venturi, & accepisse τὴν ἐπίνοιαν τῆς ἀληθείας (quid autem ferè de vera fide dici potest amplius?) vix est vt prima fronte inter eas discrimen vllum occurrat, quod in gradibus τῆς ὑπάρσεως constitutum esse non videatur.

XXVIII. Sunt tamen hæc tria præcipuè obseruanda. Vnum est, quòd etiam

differrent inter se solis gradibus respectu τῆς ἐπιτάσεως, alterum ramen inter eas respectu firmitatis atque durationis discrimen intercedit tantum, ut vera fides perseveret usque ad mortem, ἢ ἀπορροιαίῳ, vel evanescat sponte suâ, ut leues dispositiones desuetudine agendi facili obliterantur; vel excutatur ab aliqua vehementi tentatione vel etiam ἐκουσίῳ deponatur, quæ est omnium à veritate defectionum longè atrocissima. Id autem non ex eo tantum evenit quod quanto habitus altius descendit in animum, tanto difficilius exnirur, sed etiam, atque aded præsertim ex eo, quod vera fides indulgetur vi decreti electivi, ἀποκαταίῳ, haudquaquam. Sic verè fidelibus novæ vires ad perseverandum subinde suppeditantur, ut id res & occasio postulat, temporarij ut sunt diverso consilio vocati, ἀπαξ φησὶ δευτεῖ sibi in posterum permittuntur.

XXIX. Alterum est, quod graduum differentia, & in Physicis, & in Morali-
bus rebus, nonnunquam in ipsa specie differentiam efficit. Adde enim aëri gradus caloris admodum memorabiles, faceffet in ignem: adde dispositionibus gradus aliquos respectu vehementiæ, non dispositiones amplius, sed habitus appellabuntur. Quidni ergo pariter vera fides à temporaria specie differre diceretur, eo quod idem obiectum ad eandem facultatem appellitur illuminatione eiusdem modi quidem, at longe vehementiore, & quæ cum illustrat multo clariùs, tum penetrat penitiùs, validiusque omnes animi facultates perterritat?

XXX. Tertium denique illud est, quod in verè fidelibus & veri idea, quia sic ἐνδοξασθεὶς σκευματὶς καὶ διδασκαλίας, admodum magna luce mentem theoreticam per fundit, & τὴν καλὴν species, splendore suo mentem practicam luculentè irradiat, & mirabilitate sua percellit; τὸ χροσίον, ἢ τὸ ἰδὸν et si non negligitur (est enim à natura nobis insitum, ut nobis bene esse velimus) affectus non tangit nisi secundariò, & proportionè boni cuius naturā obtinet. Scilicet τὸ καλὸν ἢ ἀγαθὸν est imago Dei quatenus est καλοκαγαθὸς, ut ita loquamur, τὸ χροσίον καὶ τὸ ἰδὸν, eum tantummodo repræsentat quatenus est μακάριος, quanto melius convenit numini bonum esse quàm esse felix, tanto prior illam imaginem vehementiùs quàm posteriorem facultatem rectè & congruenter constitutam commovere par est. Rursus τὸ καλὸν, in quo Bonitatis ac sanctitatis numinis est imago, sui & Dei ipsius causa amandum est; τὸ χροσίον καὶ τὸ ἰδὸν, nostri. Quanto igitur Deus est per se quàm nos amabilior, tanto vehementiùs boni species atque honesti, quàm incundi atque utilis animos nostros ferire debet.

XXXI. At in temporariis fecus est. Ut enīm taceamus mentem theoreticam in ijs multo minus copiosa luce perfundi, aded ut propiùs accedat ad eorum constitutionem qui opinantur duntaxat, quàm eorum qui veritatem evidentibus demonstrationibus comprehensam tenent, (id autem quanti momenti sit, nemo non videt) τὴν καλὴν species leuiculè tantum, idea verò τὸ χροσίον καὶ τὸ ἰδὸν eorum affectus vehementissimè pepulit & concitavit. Iam autem anima pulchri atque honesti amore penitus imbuta, aut non agitur perturbationibus, sed eas penitus pacatas habet, aut si nonnunquam ab aliquo vehementi obiecto percellitur, ut in cupidate aliquâ νεανίᾳ vel in præsentibus mortis periculis, resurgit statim tanquam ex inopino lapsu, aut ut ex improviso deliquio vividè conualefcit. Cuius rei exempla habemus in Davide & in Petro luculenta. At quæ honesti specie languidè ducitur, utilis verò atque iucunda idea teneretur fortiter illaqueata, non deficit quidem quandiu duo illa cōiuncta sūt, at ubi seorsum abeunt (abeūt autē seorsum cū Evangelij causa crux præsentanea subeunda est, nam malum præfens quod secum affert Evangelium, imaginem boni quod spondet in futurum tempus, facili tum obscurat, & depellit ex animo) leuiscum verò, tum boni atque honesti impressio faceffit, & sui amor hominem.

dat præcipitem. Fit autem ruina totalis & malum immedicabile; partim quia semen Dei in illis extinctum est, partim quia Deus eorum apostasiam ita vlcisci decrevit, ut ἀδύνατον sit eos ἀνακαινίζειν.

XXXII. Ut tam diuersi habitus, diuersos producant effectus, rei natura flagitare videtur; at quæ sit ratio istius discriminis, non ita est obuium, quin explicatione indigeat. Itaque de fidei effectis aliquid etiam dicendum est.

XXXIII. Fides considerari debet vel ut est conditio annexa foederis Evangelici promissionibus; vel ut est virtus intellectualis absolutè in se spectata, & ut habet vim aliquam aliarum virtutum efficiendarum. Et priore quidem illo modo considerata, duos producit memorabiles effectus, quos fides ἐφοικίζει aut non producit omnino, aut producit cùm imperfectos, tùm euanidos atque minimè constantes. Vnus est in iustificatione positus, quam fides non generat efficiendo quidquam, sed tantummodo recipiendo. Est enim iustificatio atque salus ex ea pendens, donum, & sic in Scriptura nuncupatur. Porro tametsi ut donum ratum sit, omnino necesse est ut acceptetur, attamen acceptatio non aliter causa doni censi potest, nisi quod id admittit gratis aliunde oblatum. Atque eum effectum fides temporaria imitari videtur. Nam Apostolos τὴν ἐκουσίαν ἀναπαύειν, peccatum ea re exaggerat, quod profanum existimauit eum sanguinem ἐν ᾧ ἠάδον. Quæ sanctificatio si relatiua est, consistit in iustificatione; si absoluta, sine iustificatione esse non potest. At quocumque modo sumatur, fide euanescente, eius effectum pariter euanescere necesse est.

XXXIV. Alter est in consolatione & sanctificatione, quam utramque duobus modis creat. Primum recipiendo, quomodo enim remissio peccatorum credentibus offertur, eodem modo illis offertur Spiritus consolans atque sanctificans. Deinde argumentum de se præbendo, partim electionis quæ fidem antecedit, partim salutis ipsius, quæ fidem consequitur. Quando enim nemo credit eo modo, nisi virtute Spiritus Dei, Spiritus autem ille nemini indulgetur, nisi qui sit electus, eum cui indultus est, electum esse oportet. Item, quando Deus fidelis est, credentibus autem salutem æternam promittit, conuenit ut qui credidit, is certus sit de salute obtinenda. Ex quo exoritur πίστις, ὁπώρα, atque πειθισμός, spei atque fidei iustificantis indiuidua comes.

XXXV. Secundo modo considerata, quia fides est virtus intellectualis, quæ non modo menti theoreticæ, sed etiam practicæ penitus insidet, necesse est non modò ut sit apta nata ad virtutes morales generandas, sed etiam ut eas reapse in animo generet. Quando enim sic sumus à natura comparati, ut appetitus sensitiuus sit in posteritate voluntatis, voluntas autem pendeat ex intellectus practici imperio, non potest intellectus practicus esse vsque ad eò benè affectus, quin pariter voluntatem, & per voluntatem, appetitum secum trahat in obsequium voluntatis diuinæ. Ea de causa dicitur purificare corda; nec quòd veterem hominem deposuit, quòd nouum induit, quòd mortuus est peccato, quòd mundo crucifixus est, quòd non se amplius, sed Christum in se viuentem persentiscit, alijs cuiquam rei solet Apostolus sæpius tribuere, quàm fidei; cuius virtute se ita ad Christum applicuit, ut omnibus alijs rebus funditus renuntiaret. Vtique, ut nihil de eo quòd superius dictum est, reperamus, veram fidem, non remissionis modò, sed etiam sanctificationis promissionem amplecti, posset ne tantum objectum mentem humanam penitus occupasse, quin eam statim ἀχαριστίαν ἐν ὁπαρὸν τοῦ χριστοῦ? Qui igitur statuunt veram fidem posse esse à charitate seiunctam, illi quid sit vera fides, prorsus se se ignorare satis apertè profitentur.

XXXVI. Verum quia, ut dixi, fides temporaria fidem veram cum in se, tum in effectis ementitur, pertinet autem ut quod maximè ad consolationem nostram, ut quibus notis à se inuicem discriminentur, non indistinctè teneamus, quò non modò perseueremus, sed etiam certi simus de nostra perseuerantia, sunt illæ hætenus inter se breuiter opponendæ. Et quia quod summum est in vnoquoque genere, aliorum omnium exemplar esse solet, videamus in Paulo quibus se vera fides characteribus designauit.

XXXVII. Quod de suæ prædicationis apud alios efficacitate dixit, fuisse eam *de dei dei et hominum et hominum*, multo magis dici debet de ea virtute quæ ipsi Christum Dominum reuelauit. Habuit ergo veritas rem Euangelicam haud minore *et præcipue* perspectam, quam si eam ope demonstrationum tenuisset mente atque animo comprehensam. Id autem, ut iam supra obseruatum est, fides temporaria non habet. Hæsitat enim illa atque fluctuat in apprehensione sui objecti, ut qui se se videre aliquid potius suspicantur, quàm reuera vident apertè: aut qui, ut loquitur Philosophus, opinantur potius, quàm verè sciunt. Neque nos mouere debet quod tales nonnunquam videntur aliquandiu propositi tenaces. Etsi enim qui sunt in opinionibus suis paulo pertinaciores, eam sententiæ firmitatem quam vera scientia gignit, imitari videntur, id tamen inter *et verè* interest, quod illi adhærescunt quidem ad id quod semel arripuere, mordicus, neque se se ab eo dimoueri patiuntur. At pertinaciæ suæ causam idoneam nullam edere possunt. Hi verò in sententia persistunt, non inconsulta animi destinatione, sed permoti veritatis vnus euentia, quam clarè & distinctè intuentur.

XXXVIII. Tum quod de *et præcipue* alicubi dixit, proculdubio expertus est. Itaque summa animi tranquillitate fruebatur, non ea sanè quam securitas, aut stupor torpentis conscientia gignit, sed quam parit certissima venia peccatorum, beneuolentiæque diuinæ persuasio. Cuius rei fides *et præcipue* vim & magnitudinem nunquam intellexit. Nam temporales aut securè agunt, aut conscientia formidinibus ut plurimum inquietantur; & si quando accidit, accidit autem certè nonnunquam, ut delibent aliquid de gaudio illo quod verè fidelium proprium est, id illis ferè vsu venit, quod ijs qui vehemèter febricitant, ex vno aquæ gelidæ haustru. Nonnihil enim ad breue tempus febris ardor mitigatur quidem, & spiritus fit sedatior, pulmone refrigerato. At statim redit calor in viscera, & aliquanto quàm antea vehementius inardescit. Quum verè fideles se se Christi gratia ita proluant, ut quod ipse futurum esse prædixit, non modo non sitiant amplius, sed etiam præ consolationis vberitate, ex eorum ventre veluti fluentia dimanent.

XXXIX. Neque modò summa pace vsus est ob venia certitudinem, sed etiam incredibili atque inenarrabili gaudio perfusus, ob futuræ gloriæ spem indubitaram. Fore enim ut eam adipisceretur plane *et præcipue*. Vnde illa *et præcipue* & magnifica omnium salutis suæ aduersariorum contemptio, quæ habetur sub finem cap. 8. Epist. ad Romanos. Id autem à temporarijs procul abest. Nam gustant quidem aliquatenus vocationis cælestis diuitias: at id fit primotibus veluti labris tantum. Nec eorum spes multum ab similibus est ab ijs, qui vident quidem portum ex alto, sed ab hostibus obsessum, & scopulis obstructum, ad quos multi naufragium fecere. Quum verè fideles non ignorent quidem quantæ res molis sit, saluum fieri, quantisque in periculis versentur, qui ad beatum illud litus cæleste tendunt. Verum quia non modo præsentem habent, sed etiam pectore gerunt inclusam eam ex cuius nutu pendent omnia, non putant sibi quidquam esse metuendum.

XL. Quod si ei *ἐκδοκῇ* spem futuræ vitæ concipere videantur, quæ verè fidelium æmuletur *ἀντιπροσώπων*, id inde proficiscitur quod non satis animo reputant neque periculorum magnitudinem, neque vim & artes atque stratagemata aduersariorum. Itaque securè agunt, & sic facile ab hostibus se se circumueniri patiuntur. Quum contra Paulus in admirabili illa atque inconcussa suæ salutis fiducia euitet pericula penè anxie, ac pia quadam sollicitudine, & corpus suum fugillet, vt ipse loquitur, & omnia ea studiosissimè declinet, quæ homines abducere à recta via apta nata sunt, & in fraudem inducere incogitantes.

XL I. Atque id discrimen inter verè fideles & temporarios ex eo proficiscitur, quod fides temporaria, non per se quidem, & natura sua, sed vitio ingenij humani, solet homines in eam mentem impellere, vt vel æstuent atque trepident, quod ijs supra attribuimus, de gratia Dei erga se, haud satis magnificè cogitantes: vel in contraria vitia currant, ingentemque ac magnificam, non gratiæ Dei quidem erga se, sed virium suarum concipiant opinionem. Vnde fastus & aliorum præ se Pharisæus contemptus, cuius nimium multa exempla reperiuntur. At vera fides, cuius in Paulo luculentum instar habemus, quantum erigit animam bonitatis diuinæ fiducia, tantum eum deijcit sui ipsius cognitione. Vt cum nihil sit quod non aggrediatur animosè *ὡς τὸ ἐκδοκῇ* Deo, nihil in quo non certo sciat se se *ἐκδοκῇ*, non aliter tamen de se cogitet quàm de *ἐκδοκῇ* aliquo, quod si in se spectetur indignum erat quod lucem Euangelicam intueretur: aut de seruo inutiles qui nihil quidquam præstat quod mereatur yllam mercedem: aut de eo denique qui ex se ne bonam quidem vnam cogitationem animo concipere queat.

XL II. Verùm, inquiet aliquis, Nullus ne verè fidelis est, nisi qui notas istas veræ fidei in se senserit? Quotusquisque est qui se Paulo similem iactare possit? Certè aliud est esse similem, aliud verò æqualem. Nam æquales quidem Paulo magnitudine fidei, aut oppidò pauci sunt, aut omnino nulli. Similes verò sunt, quotquot sunt reuera fideles. Nimirum etsi notæ quibus fidem ipsi suam cognitam habere possunt, aliquanto minus illustres fulgentesque sint, quàm quas Pauli fides præ se ferebat, sunt certæ tamen, neque eum qui verè credit, patiuntur de sua fide deque suâ perseuerantia dubitare. Quamquam quanto clariiores sunt, tanto maiorem sui notitiam certitudinemque gignunt; quanto obscuriores, obscuriorem atque minorem. Quem igitur ea cura tangit, (quem autem tangere non debet, qui sui sensum funditus non amiserit?) vt solido gaudio fruatur, animi commentatione, studio, lectione, meditatione, votis, precibus atque lacrymis, omni ope denique conniti atque contendere debet, vt quantum fieri potest, ad fidem Pauli Apostoli accedat. Haud enim certè temerè aut arroganter nos hortatus est, vt sui simus imitatores.

XL III. Ad eos verò quod attinet, qui negant fidem suam cuiquam esse posse cognitam, ea cognitione quæ non imponat, quique adeò aiunt, si quis sit qui se se certò putet habere fidem, haud illum abesse à superbia, vel Apostolum Paulum, qui sese credere certissimè sciuit, superbiæ insimulant, vel affirmant Pauli fidem non esse nobis propositam ad imitandum. Et quandoquidem, si quis eos interrogaret, num sciant se esse sapientes, & mentis compotes, & viros bonos, id affirmarent indubitanter, & putarent sibi iniuriam fieri, de fide sua verò, pariter pronuntiare non audent, fatentur se nullam habere fidem. Haud enim illa certè minus euidentibus characteribus discernitur ab incredulitate, quam sapientia ab insipientia, mens constans ab emota, & habitus denique virtuti congruentes, à vitiosis.

XL IV. Certè cum Paulus Corinthios hortatur, vt seipsos probent atque tentent,

annon fiat in fide, & Christum habeant in se habitantem, aut vult veram fidem, rem esse cognitu non impossibilem fidei qui eam possidet, aut illud it hominibus, haud secus ac si eos nodum in scirpo quærere iuberet. Neque verò illud it ijs tantum, sed etiam metum, & trepidationem, & desperationem inijcit. Quum enim salus non aliter obtineatur quam per fidem, quid ijs animi futurum esse iudicandum est, qui postquam se se diligentissimè explorarunt, ne in agone mortis quidem certo scire possunt se se credere?

XLV. Vno verbo, fides vel est in intellectu, quod supra rebus & rationibus necessarijs addiximus, vel in voluntate, vel in utroque. Si est in intellectu quandoquidem intellectus in anima est ut oculus, fides verò ab illuminatione, qui potest esse oculus animi illuminatus, neque sentire suam illuminationem tamen? Si est in voluntate, hoc est, in illa inclinatione per quam voluntas ex *inspiratione* determinatur ad unum oppositorum, potestne quisquam ad aliquid se se determinare & id velle, & ignorare tamen suam volitionem? Si est in utraque facultate, (& afficit quidem certè utramque facultatem, alteram ut proprium subiectum, alteram verò ut id cuius motus ex motu proprii subiecti necessariò dependet; at unum eundemque habitum insidere duabus facultatibus usque adeò differentibus tanquam communi subiecto, vix est ut capi possit) utriusque facultatis motio multo minus erit cognitu difficilis quam alterutrius seorsim. Optimè Augustinus. De Trinit. lib. 13. cap. 2.

Fides est in intimis nostris: nec eam quisquam hominum videt in alio, sed unusquisque in semetipso: deinde potest, & simulatione consingi, & putari esse in quo non est. Suam igitur quisque fidem apud seipsum videt.

FINIS.

THESES THEOLOGICÆ DE FIDE.

Pars Posterior, Quæ est,

DE FIDEI CAUSA EFFICIENTE.

Præside D. MOSE AMYRALDO.

Respondente SAMVELE LANGLEO, Normano.

THESIS PRIMA.



VANDOQVIDEM, ut in priore harum Thesiu parte diximus, fides nascitur ex appulsu obiecti ad facultatem rectè & convenienter constitutam, quid sit autem istud obiectum & quibus rebus consistat, non omnino indiligenter à nobis explicatum est, ad notitiam causæ efficientis Fidei comparandam nihil restare videtur, nisi ut consideremus, Primum, eam facultatem paulo accuratius quam hactenus à nobis factum est. Deinde ut videamus quibus rebus præparetur & afficia-

N

rudine comparatis occupata occæcataque? Ez sunt pardi maculæ, is Æthiopum nigror, quæ nulla vi, nullo nitro exui aut elui posse, Prophetæ ipsi oraculis suis confirmarunt.

VII. Non potest ergo homo in statu corrupto constitutus Euangelio per se credere, ac ne quidem eniti atque conari impotentiam illam excutere, quæ obiectum extrinsecus oblatum summouet atque prohibet ab ingressu. Atque id eo minus potest, quod ad impotentiam naturalem, quæ ipsa per se sola id impedire potuit, accessit altera haud minus inuicta, quæ quod iam impossibile erat, longius aliquanto remouet à possibilitate.

VIII. Id autem & ex Scriptura Sacra, & ex experientia constat. Nam Scriptura Sacra negat *carnem se se submittere posse Legi Dei*: Omnis autem homo naturæ caro est: Et, *hominem animale capere posse ea quæ sunt Dei*: Animalis autem homo est, in quo nihil est præter animam, quam peccati labes infecit; Et si quid homo per se in eo negotio præstare posset, nihil opus esset vt ad fidem in nobis ingenerandam accederet ea vis, quæ non magnificis nominibus deprædicatur duntaxat, (dicimur enim credidisse *ὅτι ὁ καρπὸς τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ*) sed etiam cum ea virtute comparatur, quam Deus in creatione rerum & suscitatione mortuorum adhibuit. Quid enim opus esset tanto molimine in re facili, & ad cuius effectiōnem esse-mus ipsi aliquo modo dispositi atque parati?

IX. Experientia verò id pariter constituit extra dubium. Manifestum est enim omnes quos Deus naturæ suæ permittit, aut Euangelium negligere, aut id etiam cum odio aduersari. Euentus autem vniuersalis, & qui semper atque vbique se se eodem modo habet, est à causa necessaria atque ineluctabili. Neque verò quin omnes qui naturæ suæ permittuntur, ab Euangelio alieni sint, dubitari potest. Vt enim nihil hic dicamus de negotio electiōis atque reprobationis, in cuius explicatione Scriptura disertè tradit, eos tantum venire in quorum vocatione vis aliqua extraordinaria atque supernaturalis se se exerit, nemo est eorum qui verè credunt, qui non & sentiat & profiteatur fidei suæ laudem esse aliò quàm ad semetipsum referendam. Vsq̃ue adeò vt etiam ij qui veram fidem mentiuntur, vocationem aliquam & attractionem inusitatam iactent.

X. Attamen quantacumque sit & quantumlibet inuicta impotentia quæ prohibet quominus ipsi per nos credere valeamus, consistit in vnâ malitia tantum. Quod enim nobis impossibile est, id vel tale est respectu sui, vel respectu nostri. Et sui quidem nobis impossibile est id vnum quod contradictionem implicat: ad quod genus hæc de qua nunc agitur impossibilitas referenda non est. Scilicet, quod contradictionem implicat, virtute ipsius Dei perfici nequit. Non quod in Deo sit aliquis defectus potentiæ; sed quod nullam in se quidquid tale est, habet existendi possibilitatem, quæ actiue Dei virtuti obediat, vt redigatur in actum. Deus autem id virtute sua præstat, vt quantumuis corrupti simus, Euangelio tamen credamus.

XI. Respectu nostri fieri nequeunt, ad quorum effectiōnem nullas facultates naturales habemus à Deo indultas atque comparatas; aut si vllas facultates ad id genus rerum habemus, sunt illæ insufficientes, nisi aliunde iuuentur: & item ea quæ talia sunt, vt tametsi facultatibus ad ea præstanda naturaliter comparatis destituti non simus, si eas vellemus exerere, sint illæ tamen ita constitutæ vt contingere nequeat vt ijs vti velimus. Iam autem nemo dixerit, qui rem paulo diligentius expendit, nullas nobis concessas esse facultates ad credendum, vel concessas quidem esse nonnullas, at imbecillas nimis, & minimè sufficientes. Est enim suprà à nobis con-

stitutum, intellectum quem Deus hominibus attribuit, facultatem esse naturâ suâ ita comparatam, ut nisi vitio aliquo morali præpediretur, apta esset ad Euangelium amplectendum. Sanè quæ nobis impossibilia sunt eo modo, si à nobis non præstentur, non solemus ea de causa vituperari. Quis vituperium ea de causa mereri arbitrabitur eum, qui vel cæli motum non sistit, vel fluminum cursus aut maris ætus non inhibet, vel terram de loco suo non dimouet? Neque verò culpatur, qui donatus est à natura oculis minus acutum cernentibus, si characteres minutos atque fugientes agnoscere & discernere non potest.

XII. Itaque necesse est ut impotentia illa consistat in peruersa quadam eaque morali animorum nostrorum dispositione, quæ quanto inolitior est, & magis insuperabilis, tanto magis vituperanda est, & Deo atque hominibus exosa. Id autem qui idèò minus probant, quia verentur ne minus quàm par est talis impotentia magna, atque ineluctabilis esse videatur, non satis expendunt quid sit esse naturâ nequam, atque adeo in nequitia inueterasse. Nullus enim morbus est usqueadeò visceribus infixus, nulla lues tam penitus medullis ipsis insedit, nulla denique *virens* tam altè penetravit in ipsa præcordia, quæ non facilius medicinam admittat, quàm animus prauis cupiditatibus additus, & labe peccati funditus contaminatus.

XIII. Videamus iam quibus rebus peruersissima illa animorum nostrorum constitutio queat emendari. Certè quandoquidem homines nihil quidquam apud homines possunt nisi hortando, admonendo, obiurgando, rationes proponendo, quæ omnia fiunt extrinsecus, facultas autem ad ista obiecta extrinsecus oblata tam malè se habet, haud magis illi proficiunt, si nihil aliud accedat, quam si stipites alloquerentur. Manet immota mens haud secus, quàm si dura silex, aut stet marpesia cautes.

XIV. Neque quidquam amplius præstare potest opera Angelorum. Nam illi sanè præter externas hortationes, excitare fortean possunt in imaginatione *quidam*, quorum si intellectus constitutio aliquanto minus mala foret, vis maior esset ad permouendum. Verum etsi respectu admonitionum externarum Angelorum operatio, quia phantasiam afficit, interna dici possit, respectu intellectus tamen, qui multo est animæ magis intimus, externa debet appellari. Iam autem ut si mens est rectè constituta & à spiritu Dei efficaciter illuminata, nulla potest Diabolus mala phantasmata ei intus offerre, quæ eam de gradu deiciant inuitam, & renitentem inducant ad peccandum, sic nulla potest esse bonorum Angelorum tam efficax operatio, quæ malam mentem à peccato retrahat, ut obiectum in Euangelio propositum apprehendat.

XV. Est igitur omnino necesse ut Deus ipse virtutem in eo exerat suam. Atque id nos docet Scriptura, cum negat *quemquam venire ad Christum nisi quem Pater traxerit*; cum fidem appellat *donum Dei*: cum vocationem nostram *efficacissimè illius potentie* attribuit, quum denique dicit nos à Deo *creari, suscitari à mortuis, olea inseri*, & si quid est simile.

XVI. At quàm Scriptura disertè docet laudem istius operationis Deo adscribi debere, tam obscurum esse videtur quæ sit illius ratio. Scilicet aliud est fides, seu actus credendi; aliud vis qua fit ut actus ille producat. Nam actus ille certè, quia est actus intellectus nostri, obiectum extrinsecus oblatum apprehendentis, non videtur esse usqueadeò cognitu difficilis. Quando igitur credere nihil aliud est quam esse persuasam de veritate alicuius rei, non alia de causa credimus, nisi quod veritatem in obiecto fulgentem cernimus apertè, & alias illas ideas, quibus superiore disputatione diximus Euangelium esse designatum, agnoscimus, & quales sunt in se

tales eas peruidemus. Ut igitur in alijs rebus permouemur specie veri, honesti atque pulchri, vtilis & iucundi, quæ motio est hominum naturæ longè convenientissima, sic etiam in ea qua de agimus, eadem illæ species mentes nostras ad se pertrahunt quia ab illis agnoscuntur.

XVII. At in ea operatione Dei quæ mentem præparat atque disponit, ut actum istum edere queat, res eodem modo se se habere non potest. Non enim mens tum mouetur ab obiectis, alioqui res abiret in infinitum. Scilicet cum mens mouetur ab obiectis, iam est benè constituta. Si igitur operatio per quam benè constituitur, fieret per obiectorum repræsentationem, necesse esset ut motionem illam præparatio aliqua alia antecederet; quæ ipsa pariter fieret per obiecta, & sic deinceps.

XVIII. Porro omnis operatio quæ non fit per obiecta, physica esse videtur. Et sanè si mens est ut oculus, mentis emendatio ut oculi curatio, quemadmodum oculi curatio, siue squamæ ab eo detrahantur, siue discutiatur humor qui oculi substantiam occupat, siue dispellantur eæ res quæ meatus spiritibus obstruunt, siue quid aliud istiusmodi suscipiatur, fit operatione physica, mentis emendatio per operationem eiusdem generis fieri putanda esse videtur.

XIX. Prohibet tamen aliquid quominus eam propriè physicam esse existimemus. Nempe omnis operatio physica fit per contactum aliquem. Contingere autem certè se se mutuo possunt res corporeæ. At naturæ ab omni materia corporea penitus sejunctæ, aut omnino se se non contingunt, aut id fit ratione à corporeo contactu longè diuersissima, & quæ mentium ipsarum nostrarum aciem fugit. Etenim si ipsi quinam sit ille imperus & qua ratione concitatus qui à voluntate, facultate minime corporea, in locomotiuam, quæ corporea vis est, influit, comprehendere non possumus, quæ possemus intelligere numinis ipsius in mentes nostras illabentis motum atque contactum? Tum omnis causa physica vel est instrumentalis, vel principalis atque propria. Spiritus autem ille qui facultates nostras emendat, non est instrumentum sed ipsissima causa ex qua immediatè promanat effectus. Cum igitur causæ physicæ principales agant ut loquuntur, ad extremum virium suarum, & se se totas in effectum effundant, neque suæ possint operationi iudicio atque ratione moderari, quæ posset spiritus esse causa physica, qui non modo *ἡ πνεύματι ἀνεῖ*, sed etiam *ἀνεῖ ὁπόσον θέλει*, & pro arbitrio efficacitatem suam temperat atque dispensat? Adde quod in omni actione physica agens vicissim à patiente pati putatur. At quantacumque sit vocati resistentia, nihil tamen quidquam ab ea Spiritus Dei pati potest.

XX. Quamobrem si rebus quas non satis accuratè tenemus nomina imponere licet, malim istam operationem appellare hyperphysicam, quàm vel moralem, quia non fit per obiectorum repræsentationem, vel physicam, quia tametsi propius accedit ad naturam actionis physicæ quàm moralis, est tamen extra ambitum rerum & actionum naturalium, neque cum ijs in omnibus consentit.

XXI. Ut ut est, quandoquidem quæ est ratio oculorum corporis ad obiecta visibilia, eadem est ratio intellectus ad obiecta intelligibilia & vera, quæ itidem est ratio lucis illius internæ per quam oculus idoneus est qui obiecta visibilia perspiciat eadem erit ratio lucis spiritualis & internæ pariter qua intellectus fit capax obiectorum intelligibiliū apprehendendorum; & quæ est ratio operationis physicæ per quam lux illa restituitur in oculo, eadem penè erit ratio illuminationis per quam Spiritus mentem natura sua corruptam restaurat, & noua luce perfundit.

XXII. Verum, res nondum satis est explicata. Quum enim in homine duæ sint facultates principes, intellectus atque voluntas, quæri potest num sit in utraque di-

uinæ operationis eadem ratio. Alij enim eam esse vim spiritus intellectum illuminantis existimant, ut quemadmodum fieri nequit, quin mens veri cognitione ab ea perfundatur, sic etiam negent esse possibile, quin voluntas in eandem partem trahatur, atque determinetur. Alij non inficiantur quidem intellectum illuminari cognitione veri necessario, at contendunt voluntatem in æquilibrata statui tantum, adeo ut in utramlibet partem se se flectere atque determinare queat, pro arbitrij sui libertate. Nunc igitur id est tertio loco considerandum.

XXIII. Ac primum quidem postremos istos interrogatos velim, num vis illa spiritus quæ illuminat, in mente theoretica consistat, practicam verò relinquat intactam; an verò lucem suam usque ad mentem practicam diffundat, eamque pariter reddat suorum obiectorum capacem. Nam si prius verum est, fieri omnino nequit ut vllus credat. Quum enim, ut in superiore disputatione vidimus, obiectum in Evangelio propositum, non modò verum sit, sed etiam bonum, honestum atque utile, quæ duæ conditiones haud minus sunt illi essentielles quàm prima, verè non apprehenditur, & quale est, nisi pariter sub omnibus illis ideis apprehendatur. Iam autem si mens theoretica non potuit obiectum illud apprehendere nisi illuminata à Spiritu Dei, multo minus intellectus practicus id præstabit. Quominus enim mens theoretica assensum præbeat aliquem veritati, quæ non inducit ad praxim, nihil quidquam ferè intercedere videtur. At quominus intellectus practicus obiectum suum admittat, quatenus inducit ad praxim, intercedunt appetitus corrupti, & acerrimi illi affectus qui nos tenent rebus terrenis addictos atque alligatos. Atque id manifestum est cum ex cap. 7. Epist. ad Romanos, ubi describitur homo cuius mens theoretica à spiritu servitutis affecta, nihil tamen quidquam præstat in negotio sanctificationis: tum ex doctrina de Incontinentia apud Aristotelem.

XXIV. Si posterius locum habet, quemadmodum mens theoretica illuminata non potest non iudicare Evangelium esse verum, sic intellectus practicus illustratus, non poterit non iudicare idem obiectum esse bonum atque utile, atque adeò summè bonum. Summè bonum autem iudicari nequit, quin extra illud summum malum pariter esse putetur. Nam summo bono priuari, summum malum est. Itaque si manet interim voluntas ita suspensa, ut in utramlibet partem se se possit inflectere, si libet, poterit homo non sequi id quod summum bonum esse iudicavit, & in eam partem se se inflectere in qua scit se se summum malum esse reperturum. Id autem pugnat cum naturæ sensu, & cum consensu Philosophorum.

XXV. Tum eos velim interrogatos, num homo qui se se in eam partem ita determinat, id faciat adductus aliqua ratione, annon. Nam si nullam rationem suæ optionis habet, mirum est hominem, naturam intelligentem, viuum, videntem atque vigilantem, rem aggredi tanti momenti, nulla omnino ratione adductum. Potestne animo concipi vel voluntatem hominis moveri, vel motum vllum voluntarium in homine concitari, præsertim in re graui & in qua de summo bono agitur, cuius nulla causa sit? Si aliquam habet, quæ-nam illa est? Num quod sic ei libet? At quærimus causam cur sic ei libeat: Sic enim ei libere sine causa iam absurdum esse vidimus. Num quod libertatem suam sic demonstrandam esse iudicavit? Id si ita est, longè grauißimum errorem admisit, qui libertatis suæ demonstrationem, summi boni iactura redimendam esse putavit. Erroris autem tanti, tamque perniciosi intellectus practicus, à Spiritu Dei illustratus, non potuit esse capax. Tum, si potuit esse tanti capax erroris, quæ negant ij quibuscum nobis res est, voluntatem ab intellectu necessario determinari? Nam si voluntas non mouetur nisi ab aliqua ratione tali, siue ve-

ra, siue falsa, quæ præualeat in intellectu, quam in partem intellectus, seu illustratus à Spiritu Dei, seu errore deceptus, inclinabit, ad eam necesse erit pariter inflecti voluntatem.

XXVI. Tertio, status ille voluntatis in æquilibrio pendentis, dum mens practica illuminata est, est ne bonus, an malus, an verò medius? Bonus cerè esse non potest, nondum enim est illa ad bonum determinata. Medius haud magis. Pendere enim animi, atque consultare, num officium tuum facias, quum perspectum habes quâ in re officium tuum situm sit, non potest esse sine grauissima culpa. Iam verò si status ille malus est, quæ se se poterit voluntas ad malum applicata, à qua Dei illuminatione eam abstrahere nequiuit, ipsa per se ad bonum determinare? Aut si id potest per se, quidni etiam pariter intellectus benè de obiecto indicare poterit, citra ullam internam illuminationem? Nam si voluntas adhuc mala potest per se bonum amplecti ab intellectu monstratum tantum, causa nulla dici potest, cur intellectus malus nequeat amplecti obiectum oblatum in externa prædicatione. Quod quid aliud est quam purus putus Pelagianismus?

XXVII. Quarto, quum ante mentis illuminationem, voluntas non possit esse in æquilibrio, sit contrà determinatissima ad malum, quæritur num quod in æquilibrio constituta est, id tribuendum sit illuminationis efficientiæ, nec ne. Nam si illuminatio id non præstitit efficienter, non modò voluntas, iam in æquilibrio constituta, se se ad bonum inflectere poterit, sed ipsa se se per se ex peruersissima illa constitutione ad *isoppegrarian* promouerit. Quod merè itidem Pelagianum est. Si illud illuminatio præstitit efficièter, quæritur item an id necessario præstiterit, vel non. Nam si id non fecit necessario, potuit voluntas venire & non venire ad illam *isoppegrarian* pro libitu suo; quod quum nihil aliud sit nisi esse in æquilibrio, in æquilibrio fuerit antequam in eo esset. Si id præstitit necessario, quidni vis illa illuminationis quæ voluntatē ex peruersissimo statu traduxit ad *isoppegrarian*, illibatā voluntatis naturā eam ex *isoppegrarian* ad bonum, illibata pariter eius naturā flectere ac determinare poterit?

XXVIII. Quintò, quum ii qui sunt in ea sententia, statuunt illuminationem intellectus esse plerisque omnibus communem, quæritur cur potius hi quam illi credant. Nam si nihil peculiaris efficacitatis ad communem gratiam accessit eorum respectu qui credidere, illuminatio quidem erit causa fidei siue qua non, at propria fidei causa erit in arbitrio humano. Etenim si quis quærat cur Petrus potius quam Iudas crediderit, respondendum non erit, quia illuminatus est; id enim cum Iuda commune habet; sed quia sic ei libuit. Id vero quæ consistere potest cum vera pietate?

XXIX. Sextò, cum omnis volitio sit motio aliqua voluntatis, quæritur unde voluntas moueatur, an à se, an verò ab obiecto ab intellectu proposito. Ab obiecto autem cerè non mouetur, quandoquidem eam relinquit in æquilibrio. Moueri enim in voluntate, & inclinari, idem sunt; inclinari autem, & esse in æquilibrio, pugnant. Tum si obiectum moueret voluntatem in vno, quidni etiam eam moueret in alio æquæ illuminato? A se autem cerè moueri non potest. Nulla enim potentia se semet educit in actum. Sensus mouentur à rebus sensibilibus, à se haud quaquam. Phantasia à phantasmatibus; intellectus ab obiectis intellectualibus; locomotiuā à voluntate. Voluntas quæ pote à seipsa?

XXX. Atque id eo diligentius expendi debet, quod si voluntas seipsam mouet, actiones humanæ diuinæ prouidentiae subrahuntur. Nam pendeat sanè obiectum à prouidentia, intellectus ab obiecto. At actiones tamen pendunt à voluntate. Itaque si voluntas, non pendet ab intellectu, sed à seipsa, neque à morione Dei, actiones

illae pendebunt à voluntate, à motione Dei neutiquam. Est enim catena illa interrupta atque intercisa, cuius vnus ope cum Dei efficientia atque procuratione connecti potuerunt.

XXXI. Octauò, non providentiæ tantum atque procurationi, sed etiam praescientiæ Dei surripiuntur. Nam si voluntas est in æquilibrio, nulla verò causa est extra voluntatem, neque ad eam in voluntate ipsa, cur potius in hanc quam in illam partem inclinet, eius inclinatio in hanc potius quam in illam partem est res merè contingens. Porro quæ est natura rerum, ea est natura cognitionis earum, si vera est. Veritas cognitionis consistit in conformitate conceptus cum re cognita. Itaque Dei cognitio, quia vera est erit inclinationis illius respectu, tanquam de re contingente, ideoque minimè certa, & necessaria; quandoquidem certum aut necessarium, ac contingens inter se non conueniunt.

XXXII. Nondò, fides sic laude sua fraudabitur, quod tamen dogmatis istius assertores omnes minimè volunt. Scilicet brutæ actiones & sui nesciæ omni laude priuatae sunt, vt motus & operationes causarum naturalium, & item animantium ratione destitutorum. Actio autem illa voluntatis omnino bruta erit. Quid est enim brutum, nisi quod caret ratione? Et quo modo non caret ratione, id quod à ratione neque proficiscitur, neque mouetur?

XXXIII. Decimò, si Deus voluntatem in æquilibrio pendentem non determinat necessariò, neque à semet ipsa determinatam ad bonum in eo confirmabit, ita vt necessariò in eo perseueret. Infit enim voluntati libertas, scilicet, tam flagitat vt non necessariò ad bonum adhærescat, quam vt non necessariò ad id determinetur. Quam obrem si quis à Deo postulet vt animum suum à malo constanter auertat, & ad bonum ita applicet vt non possit ab eo vlla tentatione reuelli, malè facit: postulat enim ea non modò quæ nunquam cuiquam dare decreuit, sed quæ ipsum dare non decet, si sapienter agere velit. Quis autem ab isto dogmata non abhorreat?

XXXIV. Vndecimò, vt precum, sic actionis gratiarum tolletur vsus. Agnoscimus enim certè nobis esse cum incredulis communem quandam illuminationis gratiam indultam, per quam credere poruimus. At quod illa communi gratia melius quàm creduli vti sumus, qua in re consistit & credere ipsum, nobis indultum esse agnoscere nequimus, neque idcirco pro eo gratias vllas agere.

XXXV. Duodecimò, sic Deo fit iniuria longè maxima. Nam illuminatio, & indulgetur in eum finem, vt homo adducatur ad fidem, & fit, vt loquitur Scriptura, καὶ τὴν ἐπέχαιον τῷ χρίστῳ τῆς ἰσχυρῆς τοῦ θεοῦ, hoc est, vi potentissima, & quanta maxima in eo genere exeri potest. Vbi igitur Deus tanto molimine nititur, nonne homo Deo potentior est, si conatum illum irritum reddere valet?

XXXVI. Decimo tertio, quando quæcunque vis à Deo adhibeatur, voluntas tamen stat immota, quid opus est vt Deus infinitam suam potentiam in eo exerat? Non potuit obiectum, quod vnum necesse fuit si hominibus istis credimus, interuentu, intellectus voluntati proponere minore negotio? Nam sanè quandoquidem neque specie veri, neque idea honesti, pulchri, iucundi, vtilis, voluntas allicitur, nihil necesse erat vt Deus obiectum in intellectu humano coloribus istis conuestiret, potuit voluntas id ijs destitutum amplecti, quæ ideis contrarijs non absterretur quominus malum, quò malum, amplecti queat.

XXXVII. Verum quid multis opus est? Scriptura litem istam perspicuè decidit, cum vocationem nostram appellat, a creationem, nam sanè quod creatur non ita creanti resistere potest, quin esse necesse habeat: item, b vniificationem atque sus-

citationem

citationem à mortuis; quæ actio omnem resistantiam superat atque peruenit: & c. *abductionem* τὴν νόμους in captiuitatem; qui autem abducitur in captiuitatem, superatus est; tum d. *cordis lapidei ablationem*, & contra *carnei dationem*; quæ non possunt cum æquilibrata consentire: opponuntur enim cor carneum & cor lapideum inter se tanquam animi durities & conuersio; tum e. *inscriptionem legum diuinarum in cordibus Dei digito factam*: qui autem est in æquilibrio nondum leges diuinas cordi inscriptas habet: adde, *foperationem efficacem* τὸ θέλειν ἢ τὸ ἐνεργεῖν, iam verò si ὁ θέλει ἐν finibus æquilibrata excedit, (scilicet qui est inter volitionem & nolitionem *ἰσότητος* nondum quidquæ vult) quid est de τὸ ἐνεργεῖν iudicandū? & g. *pœnitentia donationē*, quæ non potest vnà cum æquilibrio consistere; & h. *fidei dationem*, quæ est ipsissima voluntatis determinatio, si, vt volunt, fides est actus voluntatis: & i. *potentem inscriptionem*; potestne autem dici Christo insitus, qui nondum habet constitutum an cum eo se se coniungere debeat? & k. *tractionem*, l. *cordis operationem*, m. *ἐν regno te, nebrarum in regnum lucis translationem*, n. *regenerationem*, o. *renouationem*, & similibus, alijs nominibus quæ operationem vsqueadē efficacem describunt, vt animum humanum pendente non relinquat, sed vehementissimè attrahat, & impellat, & concitet, & tandem magnificè permoueat vt Christum admittat penitissimè a *Psalm.* 51. *Eph.* 2. 10. b. *Eph.* 2. 5. c. 2. *Cor.* 10. 5. d. *Ezech.* 36. 26. e. *Ierem.* 32. 38. f. *Phil.* 2. 3. g. 2. *Tim.* 2. 25. h. *Phil.* 1. 29. i. *Rom.* 11. 23. k. *Ioan.* 6. 44. l. *Act.* 16. 14. m. *Col.* 1. 13. n. *Ioan.* 3. 5. o. *Eph.* 4. 23.

XXXVIII. Neque verò sic quisquam putet humanam destrui libertatem. Nihil enim magis liberum esse potest, quam quod est *παρασκευασθῆναι*; nihil magis *παρασκευασθῆναι* quàm quod Deus sic in nobis potenter operatur. *Παρασκευασθῆναι* enim illud deum est, quod fit iudicio, & ratione, obiectum contemplando, examinando expendendo, cum alijs obiectis conferendo, inquirendo diligenter num verè bonum sit, an verò *φαινόμενον* tantum, ac denique omnibus circumstantijs accuratè consideratis, concludendo sic facto opus esse vt obiectum persuadet. Quando igitur obiectum in Euangelio propositum, sub omnibus illis ideis, & in mentem insinuat & à mente à Spiritu Dei illuminata, consideratur, & agnoscitur, & quæ sic agnita permouet, atque persuadet, qui ex eo sequitur motus, quid prohibet quominus & *παρασκευασθῆναι* & liberrimus esse dicatur?

XXXIX. Non ignoramus sanè conuersionem nonnunquam fieri tam subito, vt τὴν *παρασκευασθῆναι* quæ *παρασκευασθῆναι* antecedit, exiguum spatium concessum esse videatur. Cuius rei exemplum est in Paulo. At id nihil attinet ad doctrinam istam labefactandam. Tum enim Spiritus Dei mentem hominis tanta luce perfundit, atque eadem opera obiectum proponit tam luculenter affectum atque comparatum, vt vnico pene mentis actu ab omni parte peruideatur, vnde fit vt confestim in sui admirationem rapiat, neque det vllum locum hæsitati vel consultationi. Quum itaque *παρασκευασθῆναι* nihil ad *παρασκευασθῆναι* conferat, nisi quod inseruit obiecto melius cognoscendo, si obiectum momento accuratissimè cognoscitur motus ab eo excitatus tam *παρασκευασθῆναι* est, quàm si *παρασκευασθῆναι* aliqua antecessisset.

XL. Neque verò contra, quod *παρασκευασθῆναι* est quemquam perturbare debet, quasi non esset idèo satis certus aut necessarius. Scilicet sic est à Deo & rerum natura comparatum, vt inter obiecta facultatibus quibusdam destinata, & facultates ipsas natura conuenienter constitutas, proportio quædam atque consensio sit tanta, vt si inter se commodè & congruenter applicentur, fieri nequeat quin ex eo exoriat congrua pariter operatio.

XLI. Quid enim facit ut si sensu rectè constituto, res sensibilis convenienter admoveatur, consequatur necessariò sensio, nisi quod convenienter illa inter obiectum & facultatem intercedit? Quid facit itidem ut veritas certis demonstrationibus explicata, assensum ab intellectu rectè constituto necessariò impetret, nisi quod pariter intercedit inter intellectum ac veritatem ineluctabilis analogia? Quid denique facit, ut, quod illi fatentur, intellectus a Spiritu Dei illuminatus, moveatur ab Evangelio irresistibiliter & infallibiliter, nisi quod spiritualia cum spiritualibus ita congruunt, ut ex eorum veluti congressu nequeat non exire euentus spiritualis? Quando ergo haud minor est convenientia minusque efficax inter bonum & appetitum, non potest accuratè cognitum non appeti vehementer.

XLII. Atque ea causa est, non modò cur fides necessariò generetur, sed etiam cur semel eà ratione generata, conservetur vsque ad mortem, neque vnquam effluat ex animo. Postquam enim animi humani facultates rem vsque adeo præstantem, sibi bique tam convenientem complexæ, eius vim atque diuinitatem perferunt cœperunt, ita ei se se vndique circumfundunt, ita eam arctè retinent, haud secus ac semen vitæ ac beatitudinis immortalis, avidè arreptum, & conceptum cum incredibili voluptate, ut præ illius possessione reliqua omnia, ut loquitur Apostolus, *omēlia* esse iudicantur.

XLIII. Huc accedit quod Propositum illud, ex quo pendet efficax vocatio quæ fidem creat, quia & fixum est in se, atque immotum in æternum, & in eum finem ex omni æternitate institutum, ut electos inoffensè ad salutem deducat, novis subinde illuminationis accessionibus, ita fidem tuetur atque conservat, ut nulla re labefactetur vnquam.

F I N I S.

THESES THEOLOGICÆ
DE ELECTIONE ET REPROBATIONE. Pars Prior, *πρῶτη μέρος.*

Præside D. LVD. CAPPELLO.

Respondente DANIELE BOVRGET, Normano-Crociensi.



OSTENDITUR QUAM superioribus Disputationibus ostensum est, humano generi datum esse à Deo Christum Redemptorem fide à singulis ad salutem amplectendum, fidemque illam à nobis non esse, sed à Deo, cuius donum est singulare, constetque adedum & ipsa experientia, tum Scriptura teste, fidem non esse omnium, hoc est, non omnes credere, proindeque nec saluos esse, consequens est ut à Deo facta sit quadam inter ipsos homines discretio atque separatio, qua fidem quibusdam dederit, alijs verò negauerit. Eiusmodi secretio ea est quæ vulgò Electio & Reprobatio dicitur, de qua nobis iam venit pro instituto ordine dicendum. Cuius disputationis duas fecimus partes, unam *πρῶτη μέρος*, qua quid sit illa Electio explicatur, alteram *ὑπομνήματα*, qua quid illa non sit ostenditur, siue errores qui

circa eam sunt demonstrantur. Ut autem totum illud, quicquid est, clarius elucescat, rem paulo alius repetemus.

THESIS PRIMA.



ERTVM est apud omnes qui non sunt prorsus Athei atque Prophani, quique hominis animam credunt immortalem, eiusdem felicitatem non esse augustis mortalis huius vitæ terminis concludendam, sed eam potius esse in vita illa, quæ breuem & calamitosam istam sequitur, expectandam, quod vel ipsi agnouerunt Ethnici, qui & Heroes suos in cælum post hanc vitam admissos, & alios inferioris ordinis homines, probos tamen & virtutis amantes in campis Elysiis perpetua felicitate frui crediderunt.

II. Neque minus certum est perpetuam illam felicitatem non omnibus promiscuè, sed paucis duntaxat quibusdam contingere, nam & iidem Ethnici alios longè plures numero in inferis diris supplicijs in æternum torqueri tradiderunt.

III. Si quæras ab ipsis tam diuersæ sortis atque conditionis causam, non aliam dicent quàm horum & illorum diuersam, dum hîc fuerunt, longèque dissimillimam viuendi rationem, alij nempe boni, iusti, sancti, veræque virtutis studiosi, alij mali & impij fuere. Et hætenus quidem illi rectè.

IV. Quod si vterius quæras vnde sit quod alij hîc sint boni & pii, alij verò mali & flagitiosi, vix aliud dicent aut respondebunt sapientissimi quique eorum Philosophi, quam quia sic illis libuit & visum est pro arbitrio quisque suo vitam instituire: hominem nempe libero arbitrio præditum, eâ facultate sibi à natura inditâ liberè vel in bonum vel in malum flecti atque propendere.

V. Verùm sic homo ipse felicitatis suæ author & arbiter, ac veluti artifex statuitur, quam sibi, non Dei dono atque beneficio debebit, quod est à vera pietate & recta ratione longè alienum, quæ Deum omnis omnino, adeoque vel maximè summi boni fontem, causam & authorem esse debere.

VI. Longè aliter quàm Ethnici illi Philosophi Christiana pietas & religio, diuinaque reuelatio, quæ (adeoque & ipsa, quam illi propriâ *Philosophia* excæcati & infatuati, non satis consuluerunt, experientia) nos docet hominem iam ab ipsa non pueritia modo & infantia, verùm etiam ab ipso vtero & natiuitate esse corruptissimum, vtroque non in virtutem, sed in vitium ita propendere & inclinari, vt nisi non humana modo, & quidem laboriosa admodum institutio, sed diuinum etiam auxilium & gratia subueniat, non possit ad veræ virtutis studium assurgere. Quod & nonnulli eorum, licet pauci admodum (maximè verò qui diuinus inter eos audit Plato) agnouerunt, qui virtutem non tam *seducti* quàm singulare Deorum immortalium (vt illi loqui amant) donum atque beneficium esse voluerunt.

VII. Neque id modò, sed cùm nemo, etiam iustissimus quisque, (quod vel inuiti fateri cogantur) à vicio & crimine vacuus atque immunis viuat, eaque propter apud Deum iustissimum & seuerissimum peccati vindicem, iustique & æqui ac boni amatorem summum, reus, pœnæque obnoxius sit, parum aut nihil per solam (seriam & veram licet) pœnitentiam, ad veram & æternam consequendam salutem fieri aut promoueretur, nisi per sufficientem homo Deo reconciliaretur satisfactionem. Cumque veram satisfaciendi rationem homo penitus naturaliter non goret modò, sed ea sit etiam prorsus illi impossibilis, necesse est vt Deus eam nos &

doceat & sufficiat ipse.

VIII. Hanc diuinæ iustitiæ satisfaciendi rationem per Christi mortem Deus, qui in illum finem Christum dedit, ipse in Euangelio hominibus patefecit, ac per eius prædicationem omnibus promiscuè, etsi non singulis, amplectendam proponit missis per vniuersum terrarum orbem Apostolis, eorumque successoribus Euangelij vbique Præconibus, qui lætum illum nuncium, & emergendi ex illa (in quam vltro & sponte se se præcipitarunt vitio suo) æternâ miseriam rationem hominibus aperirent, ac vera fide amplectendam proponerent, & ad seriam poenitentiam hortationibus suis inuitarent.

IX. Porro non omnes tam benignæ inuitationi, & diuino nuncio obsequi fidemque habere planum est. Nam multi Christum oblatum mundi Seruatorem & olim repudiarunt, & hodie contemnunt. Nam in hodiernum vsque diem increduli & pertinaces Iudæi iustè damnanda infidelitate eum reiciunt, & initio Christianismi per aliquot sæcula Idololatriæ, & vrsanæ superstitioni addicti Ethnicæ repudiarunt, hodieque iam à multis sæculis ab impostore suo sacerrimo persuasi & dementati Muhamedani & Turcæ contemnunt. Quin & eorum qui Christianam fidem extrinsecus profitentur Hæretici quamplurimi erroribus exitiis, sanam & orthodoxam de Christo eiusque Naturis, Persona, Muneribus, Passionibus & Beneficijs, olim hodieque interpolant, atque corruperunt, eamque sic inutilem adeoque exitiosam sibi fecerunt.

X. Imò & inter ipsos Orthodoxos Christianos qui salutiferam Christi doctrinam profitentur, non omnes veram & per charitatem operantem in Christum fidem (qualem Euangelium postulat) habent & in intimo cordis recessu alunt atque fouent, sed sola theoretica cognitione contenti, peccato & naturæ suæ corruptioni (cui eos seriò renuntiare, si salui esse volunt, oportet) indulgent ac suauiter indormiunt, pauci admodum verè pij sunt, fidemque suam bonis operibus, & vita laudabili, sibi & alijs approbant, seque verè fideles & seriò poenitentes esse demonstrant.

XI. Discrimen illud quod tum in vita & moribus, tum in fide doctrina & religione inter homines conspicuum est, aliunde esse necesse est. Vnde autem illud ducemus, & cui primam eius originem tribuemus ac debemus? An ipsi homini? At ille (vti ostensum est) à prima sua infantia, imò & conceptione, corruptissimus est & in peccato conceptus.

XII. Iam verò *ab impuro quis purum dabit*, inquit Iob, Iob. 14. 4. aut à malo quis bonum ducat vel expectet? *An inquit Christus, colligunt ex spinis vinas, aut ex tribulis flos? Non potest arbor putris ferre fructus bonos, sed malos* duntaxat. Matth. 7. 17. 18. Maxime cum natua illa labes atque vitium originis, in quo omnes concepti sumus, ex se, si nihil aliunde accedat, in omnibus par & æquale esse necesse sit. Vnde ergo discrimen in homine (quo melior alio sit) esse possit quàm ab eo qui vitium illud curare, purgare & emendare potest?

XIII. Quis autem ille esse possit nisi Deus, omnis boni tum physici seu naturalis, tum moralis & hyperphysici atque diuini (qualis est vera virtus & Christiana pietas atque religio) author & fons vberimus, qui solus malum illud nostrum curare, solus eluere, solus extinguere in nobis vi & efficacia spiritus sui potest. Et in adultis quidem modo & ratione naturæ intelligenti conueniente, nimirum doctrina & institutione per verbi prædicationem, quam spiritus efficacia in nonnullis comitatur hominum cordibus fidem ingenerat, ac per illam fidem corda eorum sanctificat, *fide enim purificantur corda*, Actor 10. v. 9.

XIV. In infantibus autem, a *ad quos etiam pertinet regnum celorum* quique audiendi & percipiendi Euangelij nondum per ætatem sunt capaces, modo etiam nobis ignoto, certo tamen, ac Deo cognito, idem eum præstare necessarium agnoscendum est, quandoquidem *b nihil immundum ingredi potest regnum celorum*, neque *c sine vera sanctificatione fas est cuiquam videre Deum*, in cuius visione seu fruitione posita est vera & æterna hominis beatitudo. a Luc. 18. 16. b Eph. 5. 5. c Heb. 12. 14.

XV. Et Deum quidem esse qui totam illam in bonum nostri immutationem præstat atque peragit tota clamat Scriptura, uti præcedentibus demonstratum est Thesisibus de Natura fidei.

XVI. Cum itaque à Deo sit vera illa Fides, & Sanctificatio, planumque sit *a eam non esse omnium*, sed paucorum tantum, & *b donum esse Dei*, manifestum est discrimen, quod eatenus inter homines intercedit, totum esse à Deo, qui cum liberri- mus sit, bona etiam & dona sua liberrimè, pro arbitrio, cuilibet dispensat atque elargitur, eademque libertate cui etiam libet negat. a 2. Thess. 3. 2. b Ephes. 2. 8.

XVII. Liberrima illa fidei & poenitentiae, ac per fidem veram sanctificationis, quæ à Deo hominibus fit, dispensatio, ab aliquo equidem & æterno Dei decreto atque consilio est, nam quæ Deus in tempore facit, ea certo & definito consilio ab æterno apud se facere decrevit, cum enim sit sapientissimus nec consilia capit ex tempore, ac velut in arena, nec quidquam agit sine magna ratione & deliberato consilio.

XVIII. Hoc Dei decretum est ab electione quadam, nam quandoquidem gratiam suam nec omnibus communicat, nec omnibus decrevit communicare, sed quibusdam tantummodo, necesse est ut illos à cæteris elegerit quibus donum & beneficium illud fidei communicaret; unde est etiam quod ea dicitur *Fides electorum Dei*. Tit. 1. 1. quia est illorum propria.

XIX. Atque ex consequenti necesse itidem est, ut quibus beneficium illud non communicat eos in illius communicatione præterierit, & præterire certo consilio decreverit. Quos autem sic præterit, eos proculdubio à Gratia sua submouet, atque repellit, siue repudiat: si enim non repudiaret, illis non secus quam alijs eam concederet.

XX. Et quandoquidem quibus Deus sic gratiam suam communicat eos probat, hoc est, amat, diligit, fouet, consequens est ut quibus eandem gratiam non concedit seu denegat, eos è contra improbet siue reprobet, adeoque exolos habeat.

XXI. Hoc est illud Electionis & Reprobationis decretum, siue æternum Dei de quibusdam ex hominum massa corrupta eligendis & reprobandis consilium, quo apud se statuit his se ad salutem communicare, alijs verò non communicare, de quo exerte Apostolus Rom. 9. ubi decretum illud nobis sub Iacobi & Esau typō proponit, de quibus à Deo dictum fuit, *Maiores serviet minori, & Iacobum dilexi, Esauum verò odio habuit.* a Gen. 25. 23. b Malach. 1. 23.

XXII. Hoc decretum in mero Dei beneplacito, & liberrima eius voluntate fundatum esse ibidem docet Apostolus ex Dei ad Moysen verbis, *Miserebor cuius miserebor, (h. e. cuius libuerit miseri) atque ex consequenti non miserebor cuius non libet ipsi miseri, uti ipse mox inde concludit, vers. 18. Itaque cuius vult miserebor, & quem vult indurat;* quos enim sic præterit in gratiæ suæ communicatione, illorum corda non emollit, proindeque dura manent, adeoque magis ac magis propria sponte indurantur, sicut è contra quorum corda gratia illa sua afficit, ea emolliuntur, & per veram poenitentiam ad Deum convertuntur.

XXIII. Hæc sunt illa vasa, de quibus ibidem Apostolus, vers. 22. & 23. alia

quidem *in*us, quae preparata sunt ad gloriam; alia verò *ap*rius, & *impler*iva *in*us *ad* *de*us, coargmentata ad interitum. Et quidem pro Dei libitu & libera eius potestate, quam ad hoc Deus habet non secus atque singulus potestatem habet ex eadem massa faciendi aliud vas ad decus, aliud ad dedecus. vers. 21.

XXIV. Quis enim Deo hinc negaverit potestatem faciendi de suo quod ipsi libet (quam Christus ei tribuit, Matth. 20. 16.) hoc est, Gratiam suam elargiendi vel non elargiendi, & quibus libuerit eam concedendi, quibus item libuerit eandem denegandi, cum nos homunciones eandem nobis vindicemus in ea quae nostri sunt iuris, sine cuiusquam iniuria?

XXV. Non est itaque quod quisquam hic iure conqueri possit de Dei Libertate quae illi naturalis est, nec ei potest à quoquam sine sacrilegio eripi aut denegari, vel Seueritate, si seueritas dicenda est beneficii indebiti denegatio, quae est sine cuiusquam fraude atque iniuria, multò minus de Iniustitia, quae prorsus nulla est, si quidem nec ulli tenetur (si non liber) benefacere, nec verbo aut promissione, vel vlla alia animi aut voluntatis significatione reprobis se obstrinxit, gratiam salutarem qua homines conuertuntur se concessurum.

XXVI. Quare quod pereunt non Deo (qui multiplicem, & ad eorum redargutionem atque conuictionem, siue ἀπολογία, sufficientem, ipsis non quarentibus aut petentibus offert gratiam) sed sibi imputare debent, qui oblatam contemnunt, vel duro & impœnitente corde respuunt, aut verò etiam acceptam vltro & sponte abijciunt, quales sunt illi qui bonum semen iuxta viam, aut inter sentes & vepreta, vel inter *περσίδας*, sed sine fructu, accipere à Christo dicuntur, Matth. 13. 19.

XXVII. Hæc à Deo paucorum quorundam hominum liberè facta electio est primò ad gratiam fidei & veræ sanctificationis, deinde verò ex consequenti ad gloriam & vitam æternam. Nam quos vocauit (nempe intus & efficaciter, & secundum propositum) eos etiam iustificauit, quos autem iustificauit eos & glorificauit (Rom. 8. 30.) & quidem tam cerò & infallibiliter vt in omnibus sint plus quam victores, per Deum qui eos dilexit, à cuius charitate, quae eos in Christo complexus est, neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. nec vlla omnino creatura poterit unquam eos separare. Ibid. vers. 37. Nemopoterit oues illas Christi è Patris manu rapere, quia Pater omnibus fortior est. Iohan. cap. 10. vers. 29.

XXVIII. Deus nempe quos vult seruare, eos primò efficaciter vocat, seu verà fide donat, ac per illos Christo inserit, deinde credentes, propter Christi meritum & satisfactionem iustificat, seu à peccatis absoluit, ac per Spiritum, quem Christus illis merito suo impetrauit à Patre sanctificat, sanctificatosque tandem post mortem vita donat æterna, cœloque recipit.

XXIX. Decretum itaque de danda fide est propriè loquendo decretum electionis, etenim per donum fidei fit hominū hæcenus inter se parium, hoc est æquè corruptorum, proindeque æquè reorum ac miseriorum, prima veluti secretio & quasi delectus, quid enim aliud est in hoc negotio eligere quàm vel reapse & actu separare atque secernere eos quibus benefacias, vel animo, & quasi oculo, notare atque designare eos quibus tu vis benefacere?

XXX. Hoc decretum de danda fide prius est non quidem tempore (omnia enim Dei decreta in eo simul ab æterno sunt) sed rei natura decreto de iustificando & sanctificando, adeoque & de glorificando eo qui credit, & ab illis est distingendum. Nam vt aliud est credere, aliud iustificari, aliud sanctificari, aliud glorificari, sic etiam aliud est Dei decretum quo constituit homini dare fidem, aliud quo creden-

tem iustificare, sanctificare & tandem glorificare sibi proposuit, pro nostro, inquam, concipiendi modo.

XXXI. Neque per decretum de glorificando fit prima inter homines separatio sed per decretum de danda fide, quia reapse per veram fidem, & actu ipso, homines ab invicem primò separantur, qui eò vsque pares fuerant. Neque Deus primùm decernit hominem absolute glorificare, deinde fidem illi dare, sed contra, fidem dare, deinde glorificare decernit. Quia quemadmodum nonnisi credentem actu glorificat, sic nec nisi credentem decrevit glorificare.

XXXII. Itaque si quis ordo decretorum Dei, non Dei ipsius, sed nostri respectu, & secundum nostrum concipiendi & considerandi modum, statuendus est (nam in Deo ipso omnia eius decreta sunt unus & idem voluntatis ipsius simplicissimos actus) hic omnino videtur Dei tum Sapientiæ, tum bonitati, tum Iustitiæ ipsius convenientissimus, ut nempe primùm omnium, Mundum atque in eo hominem, cui se per Bonitatem communicaret, decreverit creare, atque ea communicatione Potentiam, Bonitatem & Sapientiam suam demonstrare.

XXXIII. Deinde, hominem creatum, & in naturali statu, proindeque mutabili collocatum constituit sibi permittere, nec ut laboreretur, aut ab eo statu excideret, impedire, quo ius suum & dominium, absolutissimamque in creaturas suas libertatem, qua nulli tenetur obstrictus, demonstraret. Tertio, hominis in peccatum Diaboli fraude illecti, atque per peccatum in æternam, cum tota posteritate, miseriam prolapsi, decrevit misereri, hoc est, è miseria illa eripere (quo se non Bonum modò, sed summè etiam misericordem declararet) si modò iustitiæ suæ per peccatum violatæ ratione aliqua convenienter pro peccatoribus satisfaceret, iustitia enim eius non patiebatur ut sine sufficienti satisfactione homo liberaretur.

XXXIV. Quirò, quandoquidem neque ipsi, nec alius quisquam pro ipsis poterat satisfacere, Christum decrevit mittere, qui pro omnibus promiscuè peccatoribus, modò crederent & vera ducerentur pœnitentia, satisfaceret. Denique, quia nemo crediturus erat, nec credere (ob ingentem corruptionem & insitam naturaliter perversitatem) poterat, quibusdam, quibus voluit, decrevit dare fidem, qua Christo insiti, sibi satisfactionem eius applicantes, beneficio satisfactionis illius fruerentur per plenissimam ab omnibus peccatis absolutionem tamque consequentem veram sanctificationem, & æternam glorificationem.

XXXV. Atque hæc de electione, deque eius obiecto, homine scilicet lapso & misero, eiusque causâ tum efficiente, merâ Dei gratiâ & favore atque beneplacito, tum meritoriâ, Christi nimirum satisfactione. Ad Reprobationem quod attinet distinguenda est primò damnatio ipsa à Reprobatione, & utriusque causâ, tum ipsa Reprobatio.

XXXVI. Aliud itaque est ipsa Damnatio, aliud Reprobatio, aliud etiam est Damnationis, aliud Reprobationis decretum & utriusque decreti causâ. Damnatio est ipsa pœnæ meritò debitæ iustissima inflictio. Reprobatio est exclusio, seu denegatio salutis Dei gratiæ qua homo credit & vera ducitur pœnitentia. Damnationis causâ non est simpliciter peccatum, sed incredulitas & impœnitentia finalis, non quòd peccatum ex se non mereatur mortem & damnationem, sed quia Deo, pro sua misericordia, non libet quemquam damnare nisi incredulum & impœnitentem. Quemadmodum ergo Deus neminem nisi incredulum & impœnitentem actu damnat, sic neminem damnare decrevit nisi quem prævidit seu consideravit ut incredulum & impœnitentem.

XX XV II. Reprobatio rursus bifariam considerari potest, vel absolutè & in se, vel comparatè. Reprobationis, si in se & absolutè consideretur, causa est peccatum hoc est, homo quâ peccator meretur reprobari à Deo, siue dignus est cui Deus neget, si velit, gratiam suâ & donû fidei, indignus est cui Deus tantum conferat beneficiû. Neminem autem (vti dictum) Deus reprobât seu à gratia sua excludit, nisi quem in peccato iacentem & corruptum consideravit, & ab æterno prævidit. Ideoque nullus est qui de Deo conqueri possit, si à gratia excludatur, si ea ipsi negetur, cuius per peccatum ipse indignus est, non enim tenetur Deus eam cuiquam dare, nisi velit.

XX X VIII. Reprobatio comparatè considerata est quod hunc potius quàm illum Deus à gratia sua excludit, quod eam isti potius quàm illi denegat. Huius reprobationis sic comparatè consideratæ causa nulla alia est quàm merum Dei beneplacitum, nempe sic illi libet. Si enim peccatum esset eius causa, cum omnes sint ex æquo naturâ suâ peccatores, omnes pariter & ex æquo reprobarentur. Quare nec decreti Reprobationis sic consideratæ causa alia dari potest præterquàm idem illud Dei merum beneplacitum: hoc est, quod Deus ab æterno decrevit huic potius quàm illi negare donum fidei & pœnitentiæ, quod hunc ad donum illud elegit, alium ab eo submovit, non aliunde est quàm quod illi sic libuit. Nam si illi liberum est facere de suo quod vult, cur non licebit ipsi vti gratiam suam huic elargiri, sic eandem alteri denegare?

XX XI X Hinc est quod Reprobationis non minus quàm electionis causam nullam aliam affert Apostolus quàm Dei merum beneplacitum, Rom. 9. 18. *Itaque cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, atque homini conquerenti & obtrectanti nihil aliud reponit quàm. *Quis tu es qui responsas Deo? An dicet figmentum fictori suo, cur me sic fecisti? Non ne potestatem habet figulus in lutum, faciendi de eadem massa aliud vas ad decus, aliud ad dedecus?*

XL. Sanè promptum erat Apostolo respondere, *Dignus es quem Deus rejiciat, & excludat à gratia, quia peccator es*, verùm quia de Reprobatione illic agit non absolutè, sed comparatè considerata, hoc est, causam quærit cur hunc potius quàm illum à gratia sua Deus excludat, & ad illam responsionem obijci hoc rursus poterat, *Ille non minus quàm ego est peccator, cur ergo mecum non pariter excluditur?* ideo recurrit ad Dei beneplacitum, tanquam ad supremam causam, supra quam alia non datur quæ sit nobis nota. Atque hinc etiam est illa eius exclamatio, *ô profundas divinitus Sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt eius iudicia, & impervestigabiles via eius.* Rom. 11. 33.

XLI. Nempe Deus penes se habet causas, & rationes huius delectus Sapientiæ suæ cognitæ, at illas nobis non aperuit, vult nos acquiescere in solo suo beneplacito: hoc nimirum illi licet, hoc illi libet, nec quisquam de eo iure conqueri potest; quia iustam homo in se habet, cur à Dei gratia excludatur, causam & rationem. Prosper Epist. ad Rufinum de Libero Arbitro. *Inter servatos parvulos, & non servatos parvulos, quæ meritum potuit esse discretio? quid istos, introduxit in regnum Dei quid istos exclusit à Dei regno? Equidem si meritum consideres, non una pars salvari meruit, sed utraque damnari, quia omnibus in Adæ pravariatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors Dei gratia maneret super uniuersos inculcata iustitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa vel ratio, & supra facultatem humane cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur, modo confiteamur neminem immertiò perdi, neminem merito liberari. Idem est de omnibus hominibus iudicium, quia omnes sunt pariter natura corrupti, & æternæ mortis rei.*

XLII. Neque vlla est in illo delectu apud Deum *ωεραποληψία*, multò minus quàm in eo qui ex pluribus mendicis vni dat eleemosynam quam alteri negat, nempe non tenetur dare nisi libet, & de suo facere illi licet quod libet.

XLIII. Cæterum denegationem fidei sequitur quidem incredulitas & impenitentia etiam finalis, indeque exitum, exitii tamen causa iusta est, quia est à peccato, tum originali quod in homine reprobando præsupponitur & præuidetur à Deo, tum actuali, quod etsi ab homine corrupto vitari non potest, sitque necessarium, est tamen spontaneum & voluntarium, non coactum, neque ab impotentia aliqua physica, & defectu seu carentia naturalium facultatum intellectûs & voluntatis, sed à vitio illis inuito, & inuicta malitia, quæ quo est pertinacior & inuictior, eo est inexcusabilior & damnabilior, vt si quis perditæ & deploratæ indolis filius diceret, se non posse ab animo suo impetrare vt parentes amet, colat, illis obsequatur, sibi esse impossibile vt eos odio non habeat quis eiusmodi hominis monitum non meritò excretur & conspuat?

XLIV. Hæc est plena & aperta ex Dei verbo doctrinæ orthodoxæ de gratuita & æterna quorundam à Deo facta Electione, & aliorum Reprobatione, ratio & æconomia, ipsi rectæ rationi & sensui pietatis non modò non aduersa, sed vel maximè consentanea. Quam vel ipse Ballarminus, licet liberi Arbitrii com mentitii patronus acerrimus, & meritum hominis assertor maximus, ultro agnoscit & argumentis probat.

XLV. Sic enim ille de Electione, lib. 2. de Grat. & lib. Arb. cap. 10. *Scriptura docet, quosdam electos esse ex omni genere humano, eosque electos esse ad regnum cælorum, & electos efficaciter, vt infallibiliter ad id regnum perueniant, denique electos omnino gratis, & ante omnem operum præuisionem, idque mox per partes probat testimoniis ex Scriptura ductis. De Reprobatione autem sic ille eiusdem libri cap. 16. Reprobatio (quam Augustinus prædestinationem ad interitum vocat) duos actus comprehendit, alterum negatiuum, alterum positiuum: & mox, primùm enim non habet Deus voluntatem illos saluandi, deinde habet voluntatem eos damnandi. Et quidem quod ad priorem actum nulla datur eius causa ex parte hominum, sicut neque prædestinationis, posterioris autem datur causa, præuisionis peccati, & quidem, tum originalis tum actualis.*

XLVI. Atque hanc sententiam non modò dicit esse Augustini, Prosperi, Fulgentii, Gregorii, Anselmi, Bedæ, Primasii, Sedulii, Bernardi & aliorum, verum etiam ex Augustino, Prospero, & Fulgentio talem esse ostendit a vt nemo contra ipsam disputare nisi errando possit. b Ecclesiam Christi eam nunquam non habuisse; c nullum Catholicum eam negare. d tam impium esse eam negare, quàm ipsi gratie contra ire, e quam si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit ad regnum. a August. de bono Perseu. lib. 2. cap. 18. b Ibid. cap. 23. c Prosper in 1. Responf. ad obiecta Gallorum. d Id. Epist. ad Ruffin. de lib. Arb. e Fulg. de Incarn. & Grat. Christi, c. vlt.

FINIS.

ADDENDA.

Ad Thef. 34. lin. 4. post verbum *satisfaceret*, maioris lucis ergo interferendæ sunt sequentes Theses.

XXXV. Hactenus nullum adhuc est inter homines reale discrimen, duo enim

P

præcedentes diuinæ voluntatis actus, quia conditionati, omnes homines ex æquo spectant, neque hunc magis quàm illum respiciunt. Itaque si Deus hic substitisset, nec aliud quidquam constituisset, nemo seruatus fuisset, quia nemo credidisset. Quare alius nobis hic est concipiendus interuenisse voluntatis diuinæ actus, non iam amplius (vti duo præcedentes) conditionatus, sed planè absolutus, quo nimirum decreuit quosdam singulares seu indiuiduos homines, Petrum, puta, Iacobum, Iohannem &c. actu eripere ex miseria in qua naturaliter iacent, salute donare eos vocando, iustificando, sanctificando & glorificando.

XXXVI. Hoc fit per Decretum de danda fide, quæ est primum salutis illius initium atque momentum, per eam enim iustificamur, & Christo inferimur, ac firmus eius membra, per eandem sanctificamur ac tandem glorificamur.

XXXVII. Hanc fidem non omnibus promiscuè hominibus dat sed quibusdam duntaxat, scilicet *ἐκλεκτοί*, quos præcognouit (Rom. 8. 30.) hoc est quos oculo præscientiæ suæ ab æterno Deus apud se notauit, & veluti designauit pro liberrimo suo beneplacito, quos Ibidem Apostolus vocat *κατὰ πρόθεσιν*. Hi sunt qui efficaciter vocantur, & ad Deum verè per illam fidem conuertuntur, de quibus Ibidem dicitur, *quos vocauit eos & iustificauit, quos iustificauit eos & glorificauit.*

XXXVIII. Fides ista duplicem habet *ἔκδοξιν*, siue bifariam potest à nobis considerari, vno quidem modo vt accipit, sibi que applicat Christi satisfactionem, altero vt veram gignit in nobis sanctimoniam. Vtroque modo & respectu fides est primum initium atque momentum Salutis nostræ quæ à fide incipit.

XXXIX. Quum autem inter se comparantur & distinguuntur, seu distinctè à nobis considerantur, Salutis illius partes, tum Fides respectu iustificationis rationem habet conditionis prærequisitæ, nemo enim iustificatur nisi per fidem: respectu autem Sanctificationis habet se vt eius causa, *fide enim purificantur corda*. Glorificatio autem vtriusque, tum iustificationis tum Sanctificationis, effectum est & consequens necessarium.

XL. Ac quum sic distinctè inter se comparantur Salutis nostræ partes, decretum de danda fide considerandum est vt prius decreto de iustificando, iuxta illud Apostoli, *quos vocauit* (efficaciter scilicet, *κατὰ πρόθεσιν* dandæ fidei) *eos iustificauit, quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit.* Rom. 8. 30.

XLI. Hinc liquet Decretum de danda Fide (per quod fit primum discrimen inter homines eò vsque pares, vt pote quos omnes eadem miseria inuoluit, & omnes eadem Salus sub eadem fidei & penitentiae conditione pariter respicit) esse idem cum decreto Electionis: siue de seruandis quibusdam indiuiduis hominibus: quia fides est primum Salutis eorum momentum: nec tam re ipsa quàm diuerso considerandi modo duo ista decreta inter se distingui videntur.

XLII. Quia ergo nemo crediturus erat: &c. vide supra, Thes. 34.

E.I.N.I.S.

THESES THEOLOGICÆ
DE ELECTIONE ET REPRO-
BATIONE. *Pars Posterior, ἀνακρουστική.*

Præfide Dn. LVD. CAPPELLO.

Respondente LVD. FAVERELLO, Picto-Thouïarcensi.

THESIS PRIMA.



ICTVM est, præcedenti Disputatione, quid sit Electio & Reprobatio, videndum jam quid illa non sit, hoc est, eorum veniunt expendendæ sententiæ qui eam non videntur satis commodè explicare atque definire. Nempe, alij sunt qui obiectum eius non quale oportet constituunt, alij causam eius legitimam non statuunt, alij denique Electionem & Reprobationem individuorum quorundam hominum negant, ac penitus è medio tollunt.

I I. Atque ut ab his initium faciamus, Socinus, eiusque Discipuli ac sectatores, nullam agnoscunt certorum quorundam singularium & individuorum, numero definito, hominum Electionem aut Reprobationem, aut verò eorundem à Deo ab æterno præuisionem, præscientiam, præseruionem, siue præcognitionem certam & infallibilem, sed duntaxat Electionem atque constitutionem certæ cuiusdam in hominibus seruandis vel damnandis conditionis, fidei puta, pœnitentiæ atque obedientiæ in seruandis, incredulitatis verò & impœnitentiæ finalis in damnandis.

III. Sanè verissimum quidem est Deum neminem nisi credentem & verè pœnitentem seruare actu atque glorificare, neminem nisi incredulum & impœnitentem actu damnare, adeoque nec decreuisse seruare, hoc est iustificare, sanctificare & glorificare, nisi credentem aut crediturum, aut damnare nisi incredulum & impœnitentem, siue quem considerauit ut talem. At negamus id solum esse quod Scriptura per Electionem & Reprobationem nobis significat, docet enim præterea, quosdam esse singulares & individuos homines, Petrum, puta, Iacobum, Iohannem, &c. quos Deus ab æterno decreuit seruare, alios verò quos similiter ab æterno damnare constituit.

I V. Nam quod illi negant Deum cuiusquam fidem aut incredulitatem, obedientiam vel inobedientiam, antequam ea actu sit & existat, certò & infallibiliter præuidere atque prænosse, multò minus præsciscere atque præfinire, id verò impium est & blasphemum vel maximè, hoc enim est Deo omnem rerum futuratum, quæ ab humana voluntate quomodocumque pendent, præcognitionem eripere; sic autem Deus nihil futurum contingens prædicere, atque præuidere certò & infallibiliter posset, sed duntaxat casu, forte fortuna, merè contingenter atque coniecturaliter, id quod nemo, nisi impius & prophanus, dixerit vel ausit affirmare.

V. Porro certum esse & definitum quorundam singularium hominum electorum

à Deo numerum, ipsi ab æterno cognitum, Scriptura satis indicat, quum ait, *Quorundam nomina scripta esse in coelis, in libro vite*. Luc. 10. 20. Philipp. 4. 3. *Quorundam contra nomina non esse scripta in libro vite Agni à fundamentis mundi*, Apoc. 13. 8. & 17. 8. Item quum dicit, *Deus nouit qui sunt sui*. 2. Tim. 11. 19. Dicta enim illa accipi non possunt (vult Socinus) *de certo duntaxat quodam hominum genere, sed de certis quibusdam nominatim hominibus* indiuiduis atque singularibus.

V I. Libro enim illi vitæ non hoc duntaxat inscriptum est, *Eos omnes seruatum iri qui credituri sunt, damnatum contra iri qui non sunt credituri*, sed in eo scripta dicuntur nomina eorum omnium qui seruandi sunt: est enim Metaphora desumpta à catalogo, seu indiculo, cui inscribuntur nomina eorum qui vel ad militiam vel ad Munus, aut beneficium aliquod accipiendum destinantur. Neque sensus horum verborum, *Deus nouit qui sunt sui*, hic potest esse, *Deus nouit eos qui credituri & sanctè vi-turi sunt esse seruandos*, quis enim hoc nescit? Cerrè ne Diabolus quidem, sed sensus est, *Deus nouit quinam sunt credituri*, imò verò quibusnam sit daturus fidem ut seruentur, alioqui certum non esset salutis eorum fundamentum, contra quàm Apostolus isthic ad nostram maximam docet consolationem, *Certum esse Dei fundamentum, Deus nouit qui sint sui*.

V I I. Sunt qui aliquam quidem certorum & indiuiduorum hominum Electio-nem admittunt, verum summæ Dei bonitati & clementiæ repugnare putant ut quem-quam reprobet, seu à Salute rejiciat. Sanè neminem ad se venientem Deus re-pellit, vel à salute rejicit aut excludit. Sed, 1. Si neminem Deo licet aut libet re-probare, non licebit etiam aut libebit ei quemquam actu damnare, vnde sequeretur omnes fore saluos, neminem damnatum iri, quod est longè absurdissimum. Quod si Deo licet, & libet, aliquem actu damnare, licebit etiam multo magis eum reprobare, reprobat enim, siue decernit damnare eadem de causa propter quam actu damnat, nimirum propter peccatum, incredulitatem & impenitentiam, proindeque nec damnat, nec decreuit damnare, nisi iustè & meritò.

V I I I. Hoc verò Bonitati & Clementiæ Dei non repugnat aut aduersatur. Cùm enim Deus simul Bonus sit & Iustus, quum agit ex Iustitia, puta quum hominem iustè plectit propter ipsius peccatum, non agit quidem tum, & eatenus, ex Bonitate & Clementia, sed non agit etiam aduersus Bonitatem & Clementiam, alioqui Iudici, qui idem vir bonus & clemens est, non liceret esse iusto. Licet ergo Deo, adeoque libet, (quandoquidem liberrius est) quosdam, incredulos puta & impenitentes peccatores, iustè tum damnare actu, tum decernere eorum, quatenus tales sunt, damnationem.

I X. Deinde Electio non potest esse, aut verò concipi, sine aliqua Reprobatione. Nam Deus quosdam eligendo ad Gratiæ suæ communionem, reliquos quos non eligit, præterit, & præterire vult, & quidem certo consilio, est enim sapientissimus qui nihil facit sine destinato consilio, Eiusmodi præteritio certo consilio facta est Reprobatio quædam, quam dicere possis, & vocare eam vulgo solent, *Negativam*, cuius non alia est ratio aut causa nobis cognita, Deique verbo reuelata, præterquam libera eius voluntas, qui dona sua vel largitur, vel negat pro arbitrio.

X. Hanc mox sequitur *Affirmativa*, qua hos atque illos incredulos & impenitentes decreuit damnare, iustoque exitio addicere. Nam quos Deus præterit in Gratiæ suæ communicatione & dispensatione, illi manent peccatores, euaduntque increduli & impenitentes quum offertur illis Euangelium, nullo Dei, sed suo ipsorum vitio & culpâ, proindeque iure damnandi atque reprobandi sunt. Porro Reprobatio

vt Electioni opponitur, propriè & accuratè loquendo spectatur & posita est in Præteritione seu derelictione, qua Deus homines in natua sua corruptione relinquit, sibi que permittit, potius quàm in decreto de incredulis & impenitentibus dammandis, & pro merito puniendis.

X I. Alij Electionem & Reprobationem quorundam hominum singularium & individuorum à Deo factam agnoscunt, sed circa eius causam vel conditionem à vero aberrant. Electionis nempe causam, seu in Eligendis conditionem, esse volunt, alij bona opera, vitamque sanctè actam ad finem usque, alij Fidem & Perseuerantiam, alij liberi arbitrij, alij Gratia diuinæ, vel vtriusque etiam bonum (vti loquuntur) usum à Deo præuisum & quem à nobis expectat, Reprobationis verò peccatum, iniustitiam, incredulitatem, impenitentiam, vel diuinæ gratia abusum. Et illi quidem priores parum abscedunt à Socinianorum sententia, nisi quod præscientiam, seu præuisionem causæ illius Deo cum illis non adimunt.

X II. Porro illi omnes in eo peccant, 1. Quod non satis accuratè distinguunt inter Electionem ad Gratiam, & destinationem ad Gloriam, sed ea videntur confundere. Deinde, quod Electionem non faciunt merè gratuitam, vt pote quam volunt niti & pendere à conditione quam Deus à nobis expectat, non quam ipse in nobis pro suo mero beneplacito efficit.

X III. Destinatio sanè ad vitam æternam & Gloriam, siue voluntas Dei de glorificando homine nititur conditione fidei & pœnitentiæ, sed quam Deus ipse in nobis efficit. Verùm actus ille Diuinæ voluntatis de danda vita æterna sub ista conditione non est accuratè loquendo decretum Electionis, siue de eligendo homine & ab alijs separando. Fidei datio, vt est propriè Electio *actualis*, & quæ in tempore fit extra Deum per vocationem efficacem (cuius primum initium & momentum est primus veræ fidei actus) separatio hominum qui antea per naturam erant per omnia pares (vti superiore Disputatione ostensum est) sic decretum de danda fide est magis propriè loquendo decretum Electionis, siue de eligendis atque secernendis ab inuicem hominibus, adeoque *mentalis* (vt ita dicam) & intra Deum ipsum facta, in ipsius consilio, Electio.

X I V. Vel si libet voluntatem Dei de danda vita & salute, (pro vt Salus ambitu suo complectitur iustificationem & glorificationem) *Electionem* vocare, concedi potest niti illam conditione fidei, sed quam Deus ipse, vti dictum, in nobis efficit, non verò quam à nobis exspectat tanquam nostri propriam, liberi que nostri arbitrij, non verò Gratia ipsius, effectum.

X V. Si autem Electio dicatur decretum Dei de transferendo homine è statu natiaæ suæ corruptionis in statum Gratia; ex regno renebrarum in quo naturaliter iacemus, in regnum lucis & gloriosæ gratia filiorum Dei, cum (vri dictum) fides sit primum translationis illius nostræque immutationis & spiritualis inuouationis initium atque momentum, non potest Fides causa esse vel conditio Decreti illius cuius est primum effectum.

X V I. *Interna illa & mentalis*, quam diximus, Electio, siue decretum de danda Fide, non potest pro sui causa vel conditione habere fidem, aut Perseuerantiam, vel bona opera. Non fidem quia sic fides fidem præcederet, & hæc rursus aliam, sicque res abiret in infinitum, quod est absurdum; Non Perseuerantiam aut bona opera, quia tam illa quàm ista sequuntur fidem, quæ eorum est veluti mater & radix, *Fide enim purificantur corda* Act. 15. 9. ex corde autem per fidem purificato, tanquam fonte, promanant honorum operum riuuli, & fides Electorum nunquam

deficit, quia Christus pro illis orat in Petri persona, ne fides eorum deficiat, Luc. 22. 32.

X V I I. Porro bona opera non esse Electionis nostrae causam vel conditionem liquet ex Scriptura, Cum nondum nati essent, vel aliquid boni aut mali fecissent, dictum est, *Maiores serviet minori*, Rom. 9. Et, *Vocavit nos vocatione sancta non secundum opera, ἀλλὰ κατὰ ἰδίαν πρόθεσιν*, sed secundum proprium propositum, & gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora aeterna. 2. Tim. 1. 9 Vbi Gratia & opera opponuntur, sicuti Rom. 11. 6. *Si ex Gratia, non ex operibus, aliqui Gratia non esset gratia*. Deinde, dicimur creati à Deo in Christo ad bona opera, quae Deus preparavit ut in illis ambulemus. Eph. 2. 10. non ergo propter opera quae praecedant tum vocationem tum Electionem nostram in Dei mente & proposito.

X V I I I. Sed neque bonus Gratiae usus causa est aut conditio Electionis nostrae, siue id propter quod Deus nos eligit, hoc est decrevit dare nobis fidem, Nam Gratia duplex est, alia *obiectiva*, alia *subiectiva*. Et *obiectiva* quidem est Christus, eiusque meritum seu satisfactio, quae nobis per Euangelij praedicationem offertur, atque proponitur amplectenda. *Subiectiva* autem vel est vis & efficacia, seu actio Spiritus Dei interna, quae Euangelij praedicationem in Electis comitatur, eamque reddit in ipsis efficacem, vel est ipsa fides, & conversio ad Deum per veram poenitentiam & sanctimoniam: quomocumque autem Gratia accipitur, bonus eius usus a Deo praestitus non potest esse causa vel conditio Electionis nostrae, seu decreti de danda nobis fide.

X I X. Nam si Gratia pro Fide accipitur, bonus fidei usus fidem non praecedit, sed sequitur, nec alius potest esse quam in bonorum operum productione, quae à fide proficiscuntur, quaeque modò ostendimus ex Scriptura non esse Electionis nostrae causam aut conditionem. Vis autem & efficacia, seu actio Spiritus Dei, ea est quae fidem in nobis gignit, cuius usus & effectus nullus esse potest nisi bonus, nempe ipsa fides, indeque promanans vera sanctitas, nec bonus ille usus à nobis pendet, sed ab ipso Dei Spiritu. Euangelij autem praedicationis (quae ideo à Deo offertur ut fidem gignat) bonus usus positus est in ipsa fide quam gignit, itaque non potest esse causa vel conditio decreti de danda fide, nihil enim sui ipsius potest esse causa & effectum simul.

X X. Quod si Electio pro decreto de servando homine accipitur nullus potest esse Gratiae (quomocumque ea accipitur) bonus usus, qui non decretum illud Dei sequatur, sitque eo posterius, cum primum eius effectum sit fides quam Gratia efficit.

X X I. Sed neque bonus liberi arbitrij usus potest esse vel causa, vel conditio Electionis nostrae, siue voluntatis in Deo de servando homine, vel de danda nobis fide. Nam *liberum arbitrium*, vel significat ipsam intelligendi & volendi facultatem, quae omnibus hominibus communis est & naturalis, quae ideo *arbitrium* dicitur, quia per eam homo arbitratur, hoc est iudicat de rebus propositis utrum sint sibi eligendae vel repudiandae, *liberum* verò ideo est & dicitur, quia homo liberè, hoc est ultro & sponte, libens & volens, eligit vel repudiat id quod illi proponitur, siue bonum, in primo integritatis Adami, & hodierno fidelium regeneratorum à Spiritu Dei, siue malum, in nativo corruptionis nobis insitae, statu.

X X I I. Vel liberum arbitrium significat potentiam quandam activam facultatis illius praecedentis, per quam (uti nonnulli volunt) fit ut homo in aequilibrio & aequipoisio nescio qua constitutus in bonum vel in malum per se inclinet & flectatur,

sive (ut illi se explicant) per quam fit ut omnibus ijs positis quibus voluntas moueri & flecti posset, illa nihilominus non moueatur neque flectatur, sed vel immota maneat, vel etiam in contrarium non raro flectatur & moueatur.

XXIII. Si liberum arbitrium priore significato accipiatur (quæ est vera & propria eius acceptio) bonus eius vsus alius non est quam ipsa bona volitio & intellectio, siue rectum de rebus diuinis, quæ nobis obijciuntur, iudicium, à quo promanat fides (si modò iudicium illud non est ipsa fides) bonusque versus res illas voluntatis nostræ motus & affectus. Hic autem vsus à nobis non est, sed à Deo, qui in nobis facit & velle & operari pro suo beneplacito, τὸ θέλει καὶ τὸ ἐργάζει κατὰ τὴν εὐδοκίαν, Philipp. 2. 13. non enim idonei sumus ex nobis ipsis ad quidquam boni cogitandum, tanquam ex nobis ipsis, sed in omnibus sufficientia nostra ex Deo est. 2. Cor. 3. 5. Sic bonus arbitrij vsus est singularis Dei Gratiæ donum vel effectum, seu fides ipsa à vi & efficacia Spiritus Dei (quæ Euangelij prædicationem comitatur, eamque reddit efficacem) profecta.

XXIV. Posteriore sensu acceptum liberum arbitrium si reuera daretur, bonus eius vsus in concipienda fide, & amplectendo vero bono, à nobis esset, non à Deo Dei ve Gratia, quæ datâ eiusmodi, quam illi fingunt, potentiâ, hominem ponit duntaxat in æquilibrio & ἀδιαφορίᾳ, à qua deinde ipse ex se & per se, non per ullam vltiorem Dei gratiam vel actionem, sese determinat & ad bonum vel malum inclinât. At sic & Credere, & bene velle in salutis negotio, non esset singulare Dei donum, sed communis cuiusdam gratiæ effectum merè contingens, quodque aliter se posset habere. Id quod Scripturæ repugnat, quæ Fidem & veram Sanctimoniam, omniaque verè bona opera docet esse singulare Dei donum, & Gratiæ ipsius effectum prorsus proprium.

XXV. Potentia ergo illa actiua voluntatis, qua ea non ab obiectis flectitur & mouetur, sed ipsa sese mouet & flectit, etiam contra id quod suadent obiecta, commentum est Sophistarum, ipsi recte rationi & veræ Philosophiæ repugnans, quæ docet eam esse intellectus & voluntatis in nobis coniunctionem, & dependentiam, ut nihil velit homo, nec velle possit, nisi quod intellectus prius monstrauit & iudicauit esse nobis bonum, nec aspernetur etiam, aut aspernari possit, id quod intellectus tale esse censuit.

XXVI. Iam verò in rebus & obiectis diuinis, ad salutem necessarijs, à Deo est, & ab eius Gratia, seu interna Spiritus ipsius vi, efficacia, & illuminatione, quod verum Bonum, intellectui nostro per Verbi prædicationem monstratum & oblatum, nobis videtur esse tale, atque ex consequenti à nobis accipitur, hoc est illud volumus, & quidem necessariò atque incommutabiliter, etsi liberè, hoc est vltro & sponte.

XXVII. Vbi autem abest illuminatio illa Spiritus, non potest quidem intellectus noster, in hac naturæ nostræ corruptione & labe qua infecti nascimur, nisi perperam de vero Bono, & medijs ad illud ducentibus, iudicare, atque ex consequenti non potest illa non reicere, contemnere, repudiare atque negligere. Verùm illud hominem non excusat, est enim hoc ab eius vitio & corruptione quod sic peruerse de illis iudicat, nempe. τὸ φθονεῖν καὶ σπουδὴν ἔχειν ἐπὶ τοῖς θεοῖς, neque legi Dei subiicitur aut subiici potest, Rom. 8. 7. Id quod plenius demonstratum est superiote de Natura fidei disputatione.

XXVIII. Liberum arbitrium, siue facultas volendi, Gratiæ, in producenda fide & sanctimonia, non tam cooperatur quàm, ut ita dicam, suboperatur, non enim

cum Gratia concurrat ad illum effectum, tanquam *συνδύοις*, & causa *ἐκ παραλλήλου*, quomodo quum duo equi currum trahunt quē vnus non potest. Sed Gratia mouet voluntatē, hoc est efficit vt velit, & quidem benē velit, atque ita mota voluntas agit quidem, hoc est, homo vult, credit, amat, sperat, precatur, &c. sed sub Gratia, siue Spiritus Dei actione voluntatem eius mouente, sicque *suboperatur* magis illi quā *cooperatur*, ita vt nihil hic hominibz tribui possit, quod totum non sit Deo, eiusque Gratia, *causaliter*, etsi non *subiectiue*, adscribendum.

XXXIX. Nec aliter accipiendam esse cooperationem nostram cum Gratia, de qua sapius Patres loquuntur, quā de ista suboperatione, liquere potest ex his Fulgentii ad Monimum verbis, quibus illam suboperationem explicat, *Loquens Deus per Prophetam seipsum facere confirmat, quod fidelibus donat vt faciant, secundum illud oraculum, Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis, Ezech. 36. 27. Quid est autem faciam vt faciatis, nisi mei erit operis omne bonum quod operati fueritis. Ipse ergo facit vt faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum quod facimus, de quo dicitur ad Hebras, Aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placeat coram se. Siue ergo credentes, siue operantes, licet nostra sit fides, & nostra sint opera, tamen ista cum habemus non habemus ex nobis nata, sed à Deo donata, sicut Apostolus dicit. Non accepimus Spiritum mundi, sed spiritum qui ex Deo est vt sciamus quā à Deo donata sunt nobis. 1. Cor. 2. 12. Et quacumque nobis facienda donat, sicut habere non possumus nisi ipse nobis largiatur, sic facere non possumus nisi ipse nobis quē largitus est operetur.*

XXX. Ex his planum sit nullam posse esse fidei nobis dandæ conditionem, nullam decreti Dei de ea nobis danda in nobis, tanquam ex nobis causam, nullum liberi arbitrii cum Gratia concursum bonumue vsum, seu voluntatis nostræ consentum qui à Deo non sit, & ab eo in nobis non efficiatur, idque ex mero ac puro puto eius beneplacito, qui pro arbitrio cui libet tantam gratiam concedit ac donat, vt nihil hic habeat homo vnde, quasi de suo, Deo non donante, gloriari possit.

XXXI. Ad Reprobationem autem quod attinet, si ea de destinatione ad mortem, siue de Decreto Dei de dānando homine accipiat, & causa queratur cur Deus decernat quosdam damnare, negari non potest eam esse hominis peccatum, incredulitatem & impenitentiam finalem, Deus enim iniustus non est qui innoxios, nihilque committentes vel actu damnet vel damnare decernat, sine vllō ad eorum peccatum respectu.

XXXII. Si verò Reprobatio accipiat de Præteritione, siue derelictione, & queratur causa cur hunc potius quā illum relinquat in natia sua corruptione, istumque potius quā illum in Gratia suæ communicatione atque dispensatione prætereat, nihil aliud dici aut responderi potest, quā quia sic illi libuit, qui nulli tenetur, liberrimūque est in donorum suorum dispensatione, quæ quibus vult pro arbitrio vel negat vel concedit. Nam vt rectē Prosper, de Vocatione, lib. 1. cap. 28. *Quantumlibet malignitas impiorum accusetur resistens gratia numquid probabuntur eam, quibus collata est, meruisse? aut illa virtus gratia quæ sibi quos voluit subdidit, conuertere eos qui inconuerribiles permansere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales hi qui in sua duritie sunt relictī, sed illis tribuit Gratia stupenda quod voluit, istis tribuit veritas ista quod debuit, vt iudicium Dei magis inscrutabile sit in Electione gratia, quā in retributione iustitia.*

XXXIII. Sequitur eorum sententia qui Electionem quidem agnoscunt esse merè gratuitam & liberam, & fidem purum patum Dei donum, sed Electionis tamen & Reprobationis

& Reprobationis obiectum non videntur satis commodè constituere, volunt nempe illud esse hominem non in peccatum & miseriam prolapsum, sed vel *creatum* duntaxat, at *nondum lapsum*, aut verò etiam *creabilem*, siue, vt loquuntur, *possibilem* in Dei mente & conceptu.

XXXIV. Sed siue Electio sit decretum de danda Fide, siue consilium de seruando homine, & danda ei salute quæ in vocatione efficaci, iustificatione, sanctificatione & glorificatione posita est, & Reprobatio dicatur decretum de damnando, vel consilium de derelinquendo homine in ea quam sibi ultro accersit corruptione eodemque in Gratia communicatione prætereundo, planum est vtriusque obiectum non posse esse nisi hominem in peccatum, & per peccatum in miseriam & condemnationem æternam prolapsum atque iacentem.

XXXV. Etenim Fides non datur nisi homini peccatori, nec nisi ad eius consolationem & ad spem emergendi ex illa miseria ei ingenerandam. Nec Christus patiens, & Diuinæ iustitiæ pro nobis satisfaciens (qui est fidei nostræ obiectum proprium) destinatus est, aut potuit destinari, nisi homini per peccatum misero, ad eum è misero illo statu erigendum atque subleuandum, nec seruatur, seu à morte liberatur, nisi qui actu perierat mortemque commertus fuerat: vt mirum planè sit potuisse quemquam animo concipere Deum decernentem hominem non miserum, non peccatorem, seruare, seu fide in Christum donare, per eam ipsum iustificare, sanctificare, ac tandem gloriâ in cælis, tum corpore tum animâ, donare.

XXXVI. Quid autem aliud esse possit Electio quàm decretum illud de seruando homine, dandaque ei fide? Quid Reprobatio aliud est quàm decretum de eodem vel damnando, vel derelinquendo & in Gratia communicatione prætereundo? Electio autem non potest esse sine reprobatione, fit enim Electio inter duos quorum alter suscipitur & destinatur seruandus, alter eo ipso quod non suscipitur, præteritur, & à Gratia, atque ex consequenti à salute excluditur & reicitur. Si ergo deus in Electione & Reprobatione hominem consideraret non vt lapsum & miserum, sed duntaxat vt *creabilem* & *possibilem*, hominem à salute reiceret, & damnare decerneret, sine vlla peccati ipsius consideratione, à quo pia mens omnis abhorret.

XXXVII. Etsi autem Deus pro absolutissimo suo in creaturas Dominio, ex summa sua & infinità *cop. xii*, possit, hoc est, ei liceat creaturam innoxiam miseram efficere, eique se quatenus est beatus non communicare, aliud tamen est dicere hoc ei licere sine cuiusquam iniuria, ita vt si faciat creatura de eo conqueri iure non possit atque cum eo expostulare, aliud est dicere Deum reipsa id facere, etsi enim id ei liceat, non libet tamen ipsi, nec potest libère, quia & Iustus est & misericors. Quia iustus est reddit unicuique quod suum est, mors autem *non est nisi peccati stipendium*: itaque quia iustus est non potest eam homini nisi peccatori actu infligere, nec decernere aut destinare nisi ei quem considerat vt peccatorem.

XXXVIII. Quatenus autem est misericors tantum abest vt inclinet ad mortem homini non peccatori vel infligendam actu, vel mente destinandam, vt contra propendeat potius paratusque sit ad eam homini peccatori, modò seriò resipiscenti & credenti, misericorditer condonandam. Quamuis itaque, vt est liberrimum agens, & absolutissimo Dominio præditus, id ei liceat, si vellet, a se tamen impetrare non potest vt velit & faciat, quia bonus, iustus & misericors est.

XXXIX. Sed neque absoluti illius Dei dominii consideratio ad decretum de Reprobatione propriè pertinet, neque eo nititur & fundatur decretum illud, sed sola Dei in Gratia suæ communicatione libertate, si Reprobatio de præteritione & dere-

Q

lectione accipitur, vel eius iustitiâ si pro decreto damandi intelligatur.

X L. His ita expositis planum est nec in Electione quidquam esse de quo homo quasi de suo gloriari possit, quia *nihil habet boni quod non à Deo acceperit, si autem accipit, cur gloriaretur quasi non accepisset*, nec in Reprobatione quidquam unde meritò de Deo conqueri possit, si quidem neminem Deus nec actu damnat nisi peccatorem, proptereaque id iustè commertum, nec decrevit dammare nisi quem ut talem considerat. Quod autem ex pluribus æqualiter peccatoribus, & æqualiter reis, alios Gratiâ suâ, & per gratiam fide, per fidem autem Salute dignatur & donat, alios eâdem Gratiâ, fide, & salute non dignatur, id verò ei liberum & solutum est sine cuiusquam iniuriâ, ut hic nemo habeat quidquam quod contra hircere audeat, vel iure obgannire & obmurmurare possit, quin statim illud audiat, *O homo, quis tu es qui responsas Deo?* Rom. 9. 20.

X L I. Hoc illud est à nobis hæctenus ex Scripturæ mente explicatum tum Electionis tum Reprobationis dogma, atque decretum Dei merè liberum, & ex puro puto eius beneplacito profectum, non ex vlla antecedanea & à Deo præuisa in homine causa vel conditione, siue illa sit fides, siue Opera, siue Perseuerantia, siue liberi arbitrij vel Gratiæ bonus usus, respectu decreti Electionis, siue peccatum, & incredulitas, vel impenitentia, respectu reprobationis illius quàm diximus *cōparatam vel negativam*.

X L I I. Idque vel ipso agnoscente & consistente Bellarmino, lib. 2. de Grat. cap. 9. *Divina* (inquit) *Prædestinationis nulla ratio ex parte nostri assignari potest. Dicimus autem nullam rationem assignari posse ut excludamus non solum merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi Arbitrij, aut Gratiæ, aut utriusque simul, à Deo præuisum. Addimus verò illud ex parte nostri, quoniam ex parte Dei assignari potest causa in genere, ut ostendatur misericordia & iustitiâ ipsius: in particulari quoque dubitari non potest quin Deo non sit sua ratio, cur istum potius quàm illum prædestinare voluerit ad vitam, quamvis ea nobis occulta sit.*

X L I I I. Itaque cum Augustino (citante ibidem eodem Bellarmino) concludimus totam hanc Disputationem *Eorum non miseretur Deus quibus Gratiâ non esse præbendam æquitate occultissimâ, & ab humanis sensibus remotissimâ indicat, quam non aperit, sed admiratur Apostolus dicens, O altitudo divitiarum. Item, Cur illum potius quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, caveat tamen præcipitum, August. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Item, Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet. cur illi ita suadeat ut persuadeat, illi autem non ita, duo sola occurrunt quæ respondere placeat, O altitudo divitiarum! & Numquid iniquitas apud Deum?*

X L I V. Sic & Augustini discipulus Prosper Aquitanicus, in Responsionibus ad excerpta Genænsium. Cum aliqui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputare quod pereunt, quos utique posset Deus misericorditer liberare, si vellet. Et quum aliqui liberantur, non audeamus definire quod digni fuerint liberari, quos utique posset Deus iustè damnare si vellet. Quare autem non omnes, aut quare illos potius quàm illos liberet, nec necessarium est querere, nec possibile reperire. cum omnis discretionis ipsius causis scire sufficiat, quod nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat misericordiam, apud eum à quo nemo nisi iustè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.

FINIS.

Prædestinatio completur & conversionem, & iustificationem & glorificationem nostram.

Fulgentius ad Monimum, Hæc omnia hæc est, & vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis perfectio, ut etiam ista bene sanget Deus habuit, quia & in vocatione & in iustificatione & in glorificatione.

electione & in Glorificatione sanctorum Gratia sua opera præcuius, hoc est, præordinavit, à præsciendo, non à præsciendo.

Sed & Prædestinatio, seu Electio, decretum de danda fide, siue de conuertendo homine, intelligi potest.

Fulgent ad Monimum, Prædestinationis i'aque ipsius instituitur agnitio quum dicit Scriptura. Es preparatur voluntas à Domino, non autem ob aliud preparata dicitur, nisi quia danda prædicitur. Et mox, Ergo preparata est per Prædestinationem voluntas à Domino qua bonum velimus. Unde liquet Prædestinationem in eo poni à Fulgentio quod bona voluntas à Deo homini datur, hoc autem fit per fidem, fide enim purificantur corda.



THESES THEOLOGICÆ DE ANGELORVM PRÆDE- STINATIONE, SIVE ELECTIONE ET REPROBATIONE.

Præfide Dn. LVD. CAPPELLO.

Respondente RENATO RVFO, Iuliodunensi.

THESIS PRIMA.



VONIAM nostra maxime interest scire quæ sit Electionis nostræ; aliorumque Reprobationis ratio, Scriptura in ea explicanda longè est exerrissima, ac de vtraque quod satis esse videtur ad nostri institutionem, duabus præcedentibus disputationibus diximus. Quia verò quæ ad Angelos pertinent minùs videntur nobis cognitu necessaria, in ijs etiam tradendis brevior est Scriptura neque adeò aperta. In-

terim quæ circa ipsorum Electionem & Reprobationem ex ea, & secundum eam, ratiocinando colligi posse videntur magis necessaria, hæc præsentis disputatione, quam à nobis fieri poterit clarissimè, ad vsum nostrum preponentur.

I I. Ac quia Dei varia sunt de rebus omnibus à se creatis & constitutis consilia, ne confundantur, sunt ea distinguenda. Aliud itaque est *Providentia*, aliud *Prædestinatio*, aliud denique *Electio* & *Reprobatio*. *Providentia* occupatur circa res omnes in vniuersum à Deo creatas, de quibus pro sapientia sua rerumque natura convenienter disponit, & ad certos à se constitutos fines dirigit. *Prædestinatio* circa creaturas duntaxat intelligentes propriè versatur, de quibus pro liberrimo voluntatis suæ beneplacito sapientissimè & iustissimè quod visum est constituit.

I I I. Creaturæ intelligentes duum sunt generum, Angeli & Homines: Itaque circa vtrosque occupatur Prædestinatio, & quidem circa eos, vel integros, vel lapsos; eaque potest considerari vel latius, vt est quid commune tum ad Electionem tum ad Reprobationem, easque naturæ antecedens, quæ illi vt species suo generi subordinan-

tur; vel strictius magisque propriè ut est quid utramque consequens; quo re spectu alia est ad vitam, alia ad mortem. De illa quæ homines spectat antea dictum est; de ea quæ ad Angelos pertinet nunc dicendum est.

I V. Prædestinatio circa Angelos integros duplex est; vel enim est de illis confirmandis, vel est de permittendo quorundam lapsu. Angeli ex se & per se non sunt, sed fuerunt à Deo creati, & quidem creati sunt ab eo primùm boni, sancti, integri, neque verò potuerunt aliter ab eo creati qui fons est, & causa prima & summa omnis boni, cuius opera sunt perfectissima, iuxta illud; *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valdè bona.*

V. Constat autem tum ex Scriptura, tum ipsâ experientiâ, eorum alios jam esse bonos, alios verò malos, imò pessimos & nequissimos; Itaque necesse est alios in statu illo integro, in quo fuerunt à Deo primùm creati, perstitisse, & etiamnum perstare, alios verò ab illo statu excidisse atque descivisse.

VI. Porro certissimum est id Deo neque incito, neque nolente & inuito, vel repugnante, factum esse, nisi Deum vel ignorantem vel impotentem fingamus, qui aliquid nesciat, vel qui quod non vult factum, impedire non possit ne fiat, quorum utrumque absurdissimum est. Deus ergo prævidit alios casuros, alios verò non casuros, neque praudivit modò, sed & aliquo modo voluit, quando eo inuito fieri id non potuit.

V I I. Est autem & à nobis concipi debet duplex in Deo voluntas, Vna quâ aliquid probat, hoc est, delectatur si illud fiat, Altera quâ ipse vult & decernit aliquid efficere. Efficat autem illud, vel ipse per se solus & immediatè, creando potè & educendo è nihilo omnipotentia suâ, vel mediatè per creaturam, quæ ipsa quidem facit, sed viribus à Deo ad id faciendum datis, idque tam in naturalibus quàm in supernaturalibus, ut cum homo vel edit vel credit, Deo dante & efficiente non modò ut possit edere & credere, verùm etiam ut actu edat & credat.

V I I I. Prior illa voluntas dici potest, *voluntas præcepti*, (& sæpius dicitur in Scriptura τὸ ἐνδεσφον, Rom. 12. 1. 2.) quia quod Deus eo modo vult & probat, illud creaturæ tanquam officium præcipit. Horum quædam sunt quæ Deus ita præcipit ut non possit ea non præcipere, cuiusmodi sunt ea quæ ex se bona sunt ut potè quæ Dei referunt in iustitia & sanctitate imaginem, quam Deus non potest non amare; alia sunt quæ Deus ita præcipit ut possit tamen non præcipere, qualia sunt ἀδιάφορα, in quibus nulla elucet eiusmodi Dei imago, quæ Deus pro arbitrio & sapientia sua potest præcipere vel non præcipere. Posterior voluntas dicitur in Scriptura ἐνδουλα, Matth. 11. 26. Luc. 10. 21. & alibi.

I X. Duplici huic Dei voluntati opposita est duplex quædam (ut ita dicam) noluntas; Vna, quâ aliquid non probat, hoc est, gratum & acceptum illi non est, in ò ingratum est, vehementerque illi displicet, si fiat, cuiusmodi sunt ea quæ creaturæ suæ interdicit & vetat; Altera est quâ non modò non vult aliquid facere, verùm etiam vult impedire ne fiat.

X. Priori illi voluntati & noluntati resisti potest, & actu sæpè à creatura resistitur: Multa enim fiunt à creatura quæ Deus hoc pacto non vult, hoc est, prohibet seu interdicit, multa etiam non fiunt quæ Deus vult, hoc est, iubet fieri. Posteriori verò voluntati neque unquam resistitur, neque verò resisti à creatura ullo modo potest. De ea dicitur, *Deus in Cælo & in Terra quicquid ipsi libet facit*, Ps. 115. 3. & 135. 6. Item, *Voluntati eius quis potest resistere?* Rom. 9. 19. De duplici illa Dei voluntate intelligendus est elegans ille Augustini locus, *Miro & ineffabili modo non fit præter eius*

voluntatem quod etiam sit contra eius voluntatem, quia non fieret nisi sineret, nec utique nolens finit, sed volens, Enchirid. cap. 100.

XI. Neque propterea vlla est in Deo repugnantia aut contradictio; Nam Deus quidem vult idem & non vult, at non eodem modo, non eadem, sed diversâ voluntate; vult quatenus illud præcipit & eo delectatur si fiat: non vult, quatenus non libet ipsi efficere ut fiat, sed sinit creaturam facere, vel non facere, quod illi mandatum est, quodque est ipsius officij. Pugna in Deo esset, si ipse rem eandem veller & non vellet effectam dare, decerneret & non decerneret facere, vel si idem iuberet & prohiberet.

XII. Nempè, inter utramque illam Dei voluntatem & noluntatem modò explicatam media intercedit permissio; quæ duplex itidem est, altera *iuris*, altera *facti*. Illa media est inter priorem Dei voluntatem & noluntatem, quâ Deus nec præcipit, nec prohibet aliquid, sed liberum & solum creaturæ facit ut illud faciat vel non faciat pro arbitrio, ita ut siue faciat, siue non faciat, in eo non peccet.

XIII. Altera est media inter posteriorem Dei voluntatem & noluntatem, quâ Deus neque facit ut aliquid fiat, neque impedit quominus fiat, sed sinit fieri, hoc est, non ponit impedimentum quod tamen posset ponere si veller.

XIV. Deus Angelorum omnium in bono constantiam & perseverantiam voluit certè priore modo, seu primâ illâ voluntate modò explicatâ, quatenus gratum, iucundum, & acceptum illi fuisset si omnes in bono perseverassent, & quatenus hoc illis proculdubio præcepit tanquam officium ac debitum naturale. Eorum qui perstiterunt constantiam non hoc duntaxat modo, sed & posteriore voluit, quatenus effecit ipse ut in prima illa sua integritate perseverarent, illos nimirum confirmavit in bono, impediuit, seu operam dedit, pro sua bonitate & potentia, ne laberentur, & ab obsequio sibi debito desciscerent.

XV. Eorum qui ceciderunt constantiam priore quidem modo & voluntate voluit, at non posteriore; si enim hoc modo voluisset ut perseverarent, effectum proculdubio id dedisset, neque illi excidissent; ipso enim nolente & impediante eorum lapsum, qui potuissent labi?

XVI. Voluit ergo, hoc est, permisit eos labi, non priore illa permissione quam diximus *iuris*, non enim illis liberum & solum fecit ut sine vitio & peccato caderent, hoc enim est planè ἀκούσιον; sed permisit illud posteriore permissionis genere, hoc est, non impediuit quominus laberentur, quod potuit inhibere si libuisset & decrevisset impedire.

XVII. Eiusmodi Permissio nullam infert in Angelorum qui ceciderunt voluntate coactionem, quâ factum sit ut inuiti & repugnantes ceciderint; Ipsi enim nihilominus liberè, ultro ac sponte, volentes & lubentes ceciderunt, hoc est, malum voluerunt, eoque delectati sunt, & etiamnum delectantur, quicquid enim volumus, id volumus quia nobis adlubescit.

XVIII. Infallibilem porro fuisse casum illum ex eo liquet quod Deo prævisus & præcognitus fuit, (impium enim esset dicere Deo ignoratum fuisse) Dei autem præscientia & præcognitio certa & infallibilis est, Deus enim falli non potest, infallibile autem & necessarium parum aut nihil differunt: Itaque & aliquo modo necessarius fuit ille lapsus. Neque tamen propterea excusatione aut veniâ digni sunt Angeli qui ceciderunt, quia nihilominus liberè ceciderant, hoc est, peccarunt, & quidem eâ libertate quâ is liber dicitur, & reuera est, qui quod vult, ultro & sponte ac lubens, non coactè aut inuitus vult & facit.

X I X. Neque enim (ut quidam putant) necessitas semper excusat à peccato, antè pugnat cum vera voluntatis libertate, quod liquet tum Dei, tum Angelorum bonorum & malorum exemplo. Deus enim naturâ, ac proinde necessariò, adeòque immutabiliter bonus est, ut alius esse nullo modo possit, neque propterea minùs liberè bonus, neque minùs amore, gloria, & laude dignus est, imò eo magis celebrandus & laude dignus quod tam necessariò tamque incommutabiliter bonus est, contra quàm, sed impiè, censuit olim Seneca. Angeli autem boni, Deo eos in bono confirmante, necessariò bonum voluerunt, & etiamnum hodiè immutabiliter volunt, eique adhærent, neque propterea minùs liberè boni sunt, imò ideo magis laude digni quod tam necessariò adherent bono.

X X. Mali Angeli qui ceciderunt iam non possunt (ex quo lapsi sunt) non velle malum, adhærent illi necessariò, neque propterea minus mali sunt, aut minùs liberè mali, vel excusatione aut veniâ digni quin contrâ potius eo magis mali, odio & detestatione digni, quo pertinaciùs, seu magis necessariò, & immutabiliter malo adherescunt.

X X I. Et, si daretur, (quod impossibile est, quodque stultè & impiè Manichæi olim commenti sunt) malum Principium, non ideo minùs malum, minusve liberè malum, aut minùs odio & execratione dignum foret, quòd naturâ, proindeque necessariò, ac immutabiliter malum esset, imò eo magis foret detestandum quòd esset tam necessariò & immutabiliter malum.

X X I I. Nempè, ad hoc ut quis reus, culpabilis, odio & execratione dignus, excusatione & veniâ indignus sit, satis est ut malum vltro, sponte atque libens velit, eoque deleatur, etiamsi aliàs id necessariò velit, quando his exemplis liquet necessitatem cum libertate atque spontaneitate consistere posse.

X X I I I. Quod itaque Angeli quidam perstiterunt, & vsque hodiè perseverant, & in perpetuum in bono perseveraturi sunt, planum est Dei donum esse & beneficium singulare, gratiam quandam non communem, sed specialissimam quæ illis solis est communicata, alijs qui ceciderunt non est pariter concessa. Noluit nempè sinere illos labi atque deficere (quod futurum fuisset si eos sibi ipsis pariter cum alijs permisisset, planum videtur esse ex aliorum qui ceciderunt lapsu) voluit contrâ eos in bono confirmare, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, alios tanto beneficio non est dignatus, sed eos sibi ipsis permisit, hoc est fuit agere.

X X I V. Est autem Permissio (uti vult, sed contra seipsum a. Arminius) *suspensio efficientiæ alicuius in Deo, quæ usurpata peccatum actu impediret*, siue, ut idem, alibi, *Est cessatio ab actu tali, qui actum hominis impediturus esset, nihil extra se efficiendo, sed efficientiam aliquam suspendendo.* a Thes. de primo Hominis pecc. b Thes. 30. priuat. disput.

X X V. Quod itaque Angelorum voluntas (quæ ex se mutabilis est, nec potest esse alia) actu mutata fuit, factum non est illud vi vllâ aut coactione, aut actione Dei in eorum vel intellectum vel voluntatem agente atque influente & ad mutationem actualem impellente, cogente, vel necessitante, sed simplici ac nudâ cessatione ab actu per quem actualis mutatio fuisset inhibita, si actus ille Dei intercessisset.

X X V I. Nihil etiam illis, ante lapsum, subductum aut subtractum est à Deo, quo subducto necessariò laberentur, Id solùm non fecit Deus quod non tenebatur facere, quod liberum & solum illi erat facere vel non facere pro arbitrio. Non enim tenetur Deus (nisi velit) ita agere ut creaturæ mutationem actu inhibeat, agnoscante eodem ibidem Arminio, *Hoc impedimentum (inquit) Deus prestare non tenebatur.*

Satis est ut creaturam bonam & integram fecerit, adeoque talem ut nonnisi ultro, sponte, & proprio voluntatis motu malum velit, muteturque in deterius. *Deus fecit hominem rectum, sed ipsi quasiverunt sibi cogitationes multas.* Ecclesiast. 7. 30.

XXVII. Necessitas itaque illa lapsus, quæcumque fuit, non est principium ali- quod internum à natura inditum voluntatem semper ad vnum idemque (malum nem- pe seu peccatum) determinans, ut est gravitas in lapide, vel appetitus naturalis in bru- tis sui nescius, multo minus vis & coactio extrinsecus adveniens, sed fortè aliquid re- sultans ex mutabilitate creaturæ naturali, & suspensione actionis eiusmodi divinæ quæ impedire poterat actualem mutationem, & actu impediisset si adhibita fuisset: quam- quàm quid illa necessitas non sit, quàm quid sit, promptius & facilius est dicere, tutiusque existimamus modeste hinc aliquid ignorare quàm audacter nimis definire, maxime si contingentia (quæ de eodem lapsu negari vix posse videtur) radix & fundamentum statuatur illa voluntatis, quam Sophistæ & Nonatores hodie urgent, à discepta & indeterminatum inter extrema opposita æquilibrium, quocum nullus ne- cessitatis siue modus siue gradus consistere posse videtur.

XXVIII. Neque verò rei huiusce vel obscuritas & difficultas, vel ignoratio, eamque percipiendi fortè impossibilitas, quenquam mouere vel anxium tenere de- bet, cum in rebus etiam Phycis, & maxime obuijs, effectus quidem sensibus à quoli- bet facile percipiantur, effectuum autem causæ & rationes perumque nos lateant, & à paucis, vel etiam nullo, certò & distinctè comprehendantur: si quidem notum & obuium unicuique est, si dicitur & si dicitur à nullo fortè capitur aut capi posse videtur, ut est, exempli gratia, cuiuslibet continui diuisibilitas in infinitum, motus cuiuslibet mobilis primum momentum & ratio, & gravium ad centrum non vitans, & non in infinitum motus atque progressio, aliaque eiusmodi quàm plurima ac penè infinita.

XXIX. Itaque missa ista disquisitione, videamus potius quæ fieri potuerit ut tam nobiles intelligentiæ à prima sua exciderent integritate, & quæ via & ratione tanta mutatio in eis sit facta: quod hic aliquatenus explicari posse putamus.

XXX. Malum quod peccatum est, & quo tum Angelas tum homo in deterius mutatus fuit, vel est in voluntate, vel extra eam. Extra voluntatem sunt actus vo- luntatis *Imperari*, seu actiones extrinsecæ illicitæ, atque à Deo lege aliqua prohibita. In voluntate sunt actus immanentes elici contra Dei Legem, atque motus & impe- tus facultatis irascibilis atque concupiscibilis in homine, aut potentia alicuius illius analogæ in Angelis, vel habitus.

XXXI. *Habitus* autem vel sunt *Infusi*, vel *naturales*, vel *acquisiti*. *Habitus infu- si*, vel *naturales*, mali nulli potuerunt esse in homine vel Angelo, ante primum totum lapsum; natura enim, & quatenus à Deo creati sunt, boni fuerunt, *Vidit Deus quæ fecerat: & ecce erant valde bona.* *Habitus mali* acquiri non potuerunt nisi post pri- mum lapsum, per actiones nimium malas frequenter repetitas. Primum itaque An- gelorum & hominis peccatum fuit necessariò actus seu motus aliquis voluntatis in- ordinatus.

XXXII. Prima Angeli actio mala quam Scriptura commemorat, est Eua- per Serpentem seductio, quæ propositis argumentis & rationibus ei persuasit ut ves- ceretur de arbore verita. Ad hoc motus omnino videtur invidia aduersus hominem (Invidia enim Diaboli mors in mundum ingressa est, ait author lib. Sapientia, cap. 2. vers. 24.) quod videret eum à Deo super omnia sua opera constitutum, quem hono- rem & prærogatiuam parauit ad se, tanquam excellentioris naturæ, magis pertinere de-

quâ prerogatiua voluit eum deicere impellendo in peccatum, vt hoc pacto non modo non superior esset, sed multo etiam inferior se euaderet.

X X X I I I. Putauit igitur magnam sibi à Deo factam esse iniuriam, cum homo eâ est ab ipso ornatus prerogatiua; atque inde odium aduersus Deum ab eo est conceptum, vnde putauit se Deo (cui malè propterea volebat) ægrè facturum si hominem ad rebellionem secum traheret, atque ita qua putauit se nocere Deo posse nocuit, simulque sperauit se habiturum hominem, eiusque posteros totum genus humanum, miserix suæ socium, adeoque imperio suo subditum, quod est miserum *miserorum solatium, habere pares.*

X X X I V. Non potuit autem putare iniuriam sibi à Deo esse factam sine graui iudicij errore & mentis hallucinatione; qui error prauumque de Deo hac in parte iudicium, culpabilis proculdubio fuit, fuit enim ignorantia quædam crassa & voluntaria iuris atque officij, quæ non excusat.

X X X V. Hic error, & hallucinatio illa mentis, videtur esse ab ipsa invidia quâ in hominem exarsit; excæcat enim mentem & intellectum non rarè & deos vehemens, quod etsi propriè dictum non cadat in Angelum (qui facultatem irascibilem & concupiscibilem propriè dictam non habet) aliquid tamen illi analogum in eo potest esse atque concipi.

X X X V I. Invidia illa in eo fuit motus quidam voluntatis inordinatus, quo noluit id quod Deus volebat, hominis nempe supra reliquas creaturas imperium, & doluit de ea quæ Deo placebat hominis prerogatiua. Ortus est autè motus ille ex incogitantia quadam, sed culpabili. Nempe non cogitauit tum summum Dei in creaturas suas ius atque dominium, iuxta quod de illis pro arbitrio statuere potest quod ipsi libet (cui iuri, dominio, atque voluntati Dei oportuit eum acquiescere eique se cum humilitate submittere, non verò resistere ac contrà ire) tum sapientiam, secundum quam Deus rationes proculdubio æquissimas habuit, cur non Angelum, sed hominem cæteris præficeret creaturis.

X X X V I I. Incogitantiam autem obrepere posse intellectui finito planum & manifestum esse videtur, quia non est actus simplicissimus (qualis est solus Deus) sed constat saltem ex actu & potentia. Quomodo autem Angelo obrepserit actu tam damnosa & damnabilis incogitantia, Deus nouit, nostrum non est definire.

X X X V I I I. Non videtur posse mens humana vltius in abyssum illam penetrare, neque verò decet nos operosius eam perscrutari atque rimari. Cæterum potuisset Deus incogitantiam illam culpabilem (in qua primum mutationis Angelorum in deterius momentum positum esse videtur,) auertere, eosque sic in obsequio & officio retinere; noluit tamen, quia liberum hoc illi fuit, & causas habuit in sapientia sua iustissimas & æquissimas cur noluerit, in quas nostrum non est curiosius inquirere sed simpliciter & humiliter in eius voluntate acquiescere. Alijs qui non ceciderunt aliam dedit mentem, & incogitantiam illam pro libertate sua voluntate & summa bonitate auertit, sicque in officio & obsequio continuit.

X X X I X. Quod autem Deus in tempore facit vel non facit, id ipsum ab æterno facere vel non facere voluit & decreuit. Neque enim vti homines solent, consilium Deus in arena, ex subita occasione quam non præiudicauit, capit. Cum itaque in tempore incogitantiam illam in Angelis qui persistenter auerteritne mutarentur, in alijs non auerterit, consilium etiam ei ab æterno fuisse de ea in his auertenda, in illis non auertenda, necessario agnoscendum est.

X L. Itaque sic duplex constituitur Dei circa Angelos liberum prorsus ac spontaneum

Spontaneum consilium atque decretum æternum; Alterum quo eorum quosdam decreuit confirmare in statu bonitatis & integritatis in quo fuerunt primum ab eo creati, alterum quo alios sibi ipsi permittere constituit, decreuitque non impedire quominus inde exciderent, & ab obsequio suo ultro ac sponte deficerent.

X L I. Horum consiliorum alterum est proculdubio ab amore & beneuolentia erga eos quos confirmauit planè singulari, merèque gratuita ac prorsus libera: potuisset enim si voluisset (liberumque adeò & solutum ipsi fuit hoc velle) non minùs illos quàm alios derelinquere, ac tum non minùs lapsuri fuisse videntur quàm qui ceciderunt: Vnde enim ipsis maior firmitas & constantia quàm alijs fuisset, nisi ista Dei gratia illis accessisset, quæ non est alijs concessa?

X L I I. Imò, quandoquidem Agens Deus est longè liberrimum, vti omnes & singulos confirmare, sic omnes & singulos si voluisset, potuit deserere. Neutrum tamen illi libuit (neque sapientiam eius id decere videbatur) sed aliquos pro eadem libertate & sapientia voluit confirmare, alios voluit deserere sibi que permittere: Istud nimirum non minùs fuit illi liberum quàm duo præcedentia. Illorum confirmatio in bono fuit *χρησιμα* indebitum, quod Deus illis ex mera *εὐδοκία* largitur est.

X L I I I. Alterum de alijs deserendis consilium est etiam à libera ipsius voluntate, (quis enim illi libertatem hanc ausit negare?) & ab absoluta quàm habet in omnes creaturas (ob eminentissimam & prorsus infinitam ipsius super eas *ἐξουσίαν*) potestate, qua de illis pro arbitrio licet ipsi statuere.

X L I V. Est autem in duplici isto Dei circa Angelos decreto *Electio* & *Reprobatio* quædam. Nam quos decreuit confirmare, illos ex vniuerso Angelorum numero veluti selegit atque segregauit, quibus tantum conferret beneficium; reliquos quos sibi permisit fuitque prolabi, quodam modo reprobauit, hoc est, noluit illis idem cum alijs conferre beneficium, quod tamen facere potuisset, si voluisset.

X L V. Hinc est quod qui sic perstiterunt dicuntur *Angeli Electi* (1. Tim. 5. 21.) non tam ob eorum eximiam & excellentem naturam, quàm quia à Deo è reliquorum numero selecti sunt quibus gratiam illam perseverantiæ conferret, quàm alijs non contulit. Et sanè, non aliundè habent aut habere potuerunt quod alijs sunt præstantiores & meliores, quàm à diuina illa gratia & perseverantiæ dono illis indulto, alijs non concessa: Nam & in illis, non secùs quàm & in homine valere illud Apostoli debet, *Quis te discreuit? quid habes, quod non acceperis?*

X L V I. Electi autem sunt, non in seipsis, hoc est, propter singularem aliquam, quæ in ipsis, non in alijs esset, dignitatem, propriumque meritum, (fuerunt enim omnes pariter per creationem boni,) sed in Iesu Christo æterno & dilectissimo Dei filio, in quo Patri complacuit, quemque non hominum modò, sed & Angelorum caput constituit, *Deditque ei nomen supra omne nomen tam in celo quàm in terra, ut sit ὁ πᾶσι πάντων, utque per eum omnia consisterent* Col. 1. 18. quod factum proculdubio non fuisset, nisi in eo & propter ipsum Patri hanc eis, potius quàm alijs, gratiam indulgere libuisset.

X L V I I. Et sanè, cui potiori iure confirmationis suæ gratiam debeant quàm illi in quo Patri placuit ut habitaret *πᾶν πλῆρωμα*, Col. 1. 19 quique est *πᾶν τὸ ἐν πᾶσι πλῆρωμα*, Eph. 1. 23. Si enim omnia in omnibus implet, certe non est illi neganda hæc Angelorum plenitudo, quæ in ipsorum confirmatione plana est. Et quando per Christum omnia facta sunt, visibilia & inuisibilia, etiam Throni Dominationes, Angeli, Archangeli, &c. Col. 1. 16. quidam idem per eum & propter eum confirmati sint à Patre?

XLVIII. Hoc respectu Christus dici potest Angelorum, non quidem *liberator* & *Redemptor*, (in ruinam enim & exitium ex quo fuerint eripiendi non ceciderunt,) sed *Servator*, (quatenus is etiam paulo latiore significatione *servator* dicitur quia aliud impedit ne in ruinam, exitium, & perniciem ruat,) & *Mediator* atque *Intercessor*, (non quo amissa gratia & fauor recuperetur atque redintegretur, sed cuius gratia & intuitu atque interuentu non permisit Pater ut ab accepta semel gratia, fauore, atque beneuolentia, exciderent,) *Caput* denique non modò quia eorum Creator, verum etiam quia Patri placuit ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐν αὐτῷ τὰ πάντα, Eph. i. 10. Angeli & fideles vnum simul faciunt corpus Christi mysticum, cuius Christus, quia mediator, est caput, ac proinde in eo & per eum Patri gratum & acceptum est corpus illud. Unde sequitur propter eum factam esse eorum in bono confirmationem.

XLIX. Istam quorundam Angelorum Electionem, siue secretionem ab aliis, à Deo factam secuta est eorundem destinatio ad vitam, gloriam, & felicitatem singularem, siue quam per creationem iam habebant in perpetuum incommutabiliter retinendam, siue in maius augendam vel aliam supernaturalem conferendam. Vtrumque enim Deo liberum & solutum fuit. Vtrum autem factum fuerit, quando Deus in Verbo non clarè aperuit, quo solo reuelante nobis compertum esse potest, nostrum non est audacter definire, neque necesse est inquirere, quando tutò potest ignorari.

L. Consilium seu decretum Dei de ista Angelorum destinatione, est strictè magisque propriè dicta eorum ad vitam & gloriam *Prædestinatio*, (quandoquidem ab æterno in Deo fuit tale de illis consilium,) quæ distinguenda est à priore illa *Prædestinatione* quæ ad Electionem & Reprobationem (vix suprà dictum est) se habet ut genus ad suas species.

L I. Quod autem alii non sunt pariter cum istis à Deo confirmati, in eo est quædam eorum à Deo facta negatiua Reprobatio, hoc est non Electio, seu derelictio; neque enim concipi aut fieri potest quorundam Electio, quin simul eademque operâ fiat, & concipiatur facta, eiusmodi aliorum negatiua Reprobatio; cuius non alia esse potest, aut à nobis fingi vel concipi causa debet, præterquam liberrima Dei voluntas, cui ita pro merito eius beneplacito libuit; Si enim ei aliter libuisset, (& sanè libère potuit) potuisset eos non secus, atque alios confirmare; quid enim eum potuit prohibere ne faceret?

L II. Non iustitia, quia ea versatur duntaxat in retribuendo & remunerando quando creatura est integra, non verò in conferendo vel negando vltiore beneficio: Itaque iniustus non est, sed culpâ vacat, qui permittit, hoc est non impedit, quod non tenetur inhibere, vel non confert quod non tenetur largiri atque concedere. Itaque per iustitiam non tenetur Deus facere ut non mutetur creatura.

L II I. Non bonitas, illa enim liberrima est in sui communicatione. Non Misericordia, illa enim non officit, legemue ponit, aut ponere debet libertati Dei, & absoluto eius in creaturas Dominio, quod ei manet debetque manere perpetuò integrum.

L IV. Non denique Sapientia, hæc enim non minus, imò magis conspicua est in quorundam derelictione, quam in omnium confirmatione: si quidem magis elucescit, in quorundam derelictione, tum Dei summa libertas absolutumque Dominium, tum Bonitas & gratia in aliis confirmandis, quæ minus illustris fuisset si omnes pariter fuissent confirmati, contraria enim contrariis contrapositione magis

gis elucescunt : Videri nempe potuisset illa omnium in perpetuum perseverantia non esse à gratia, sed à natura, unde minor Angelorum erga Deum propter eam gratitudo existitisset.

L V. Negativam hanc quorundam Angelorum Reprobationem siue *Non Electionem* aut *Derelictionem* secutus quidem est eorum (& quidem necessario, ut explicatum est) lapsus ; at illum lapsum tamen non fecit illa Reprobatio, nec eius est causa propria, sed deliberata eorum voluntas, spontaneusque quo à Deo defecerunt motus ; proptereaque lapsus & peccati eorum culpa in Deum nequaquam rejici potest, sed tota in ipsos Diabolos peccantes recumbit.

L V I. Propter suum peccatum & defectionem jure exclusi sunt ab illa quam ante lapsum habebant cum Deo, quatenus est beatificus, communio, & qua eos reuerat gloria & felicitate cumulabat. Imò per illam ipsam defectionem ultro ipsi se omni illo bono priuarunt atque spoliarunt. Nam quomodo veram & perfectam sanctitatem ultro & necessario (nisi quid aliud ex speciali æconomia interveniat) consequitur gaudium, consolatio, incunditas, lætitia, & felicitas inenarrabilis, quia per sanctitatem cum Deo communionem habemus & sumus naturæ diuinæ participes ; sic ex opposito peccatum & apostasiam à Deo ultro & necessario consequitur (nisi ex sapienti æconomia ad tempus id impediatur) dolor, luctus, mœror, horror, angor, desperatio, omneque malum graue, durum, molestum, & supra quam animus humanus, cogitare potest horribile.

L V I I. Deinde, quemadmodum eum in quo Dei elucet imago in verâ sanctitate & erga eum amore, Deus amat, benè illi vult, fauet, complectitur, nec potest non amare, benè illi tum velle tum facere, qui autem sic à Deo diligitur, non potest non esse, (nisi per æconomiam quandam extraordinariam) felicissimus : sic eum in quo contrarium suæ imaginis videt non potest non odisse, atque à se repellere, favore & benevolentia sua excludere ; is autem in eo statu, & eo ipso, non potest non esse longè miserrimus.

L I I I. Præterea qui sic à Deo deficit, eumque ultro derelinquit, is in se necessitatem accersit perpetuò in ea defectione manendi ; neque postea potest (nisi Deo misericorditer donante) ab ea sese exsoluere, & per veram poenitentiam ad Deum redire, ac quamvis, (quod impossibile est) per se ad eum rediret, maneret tamen semper defectionis ipsius reatus, pro quo iustitiæ diuinæ nunquam satisfacere posset. Undè liquet eum per ultro neam defectionem sese in æternam coniecisse miseriam & sempiternum exitium.

L I X. Denique cum Deus pro sapientia & iustitia sua singulis rebus loca in hac vniuersi machina pro ipsorum natura, varia inuicemque discreta, constituerit, & altiora dignioraque dignioribus naturis assignauerit, indeque cœlum & cœlum cœlorum Angelis in prima eorum creatione sedem convenientem concesserit, æquum omnino fuit ut defectores Angeli beatis illis sedibus deturbarentur longè à Dei conspectu submoti, quomodo Rex eum aula & palatio suo exturbat à quo grauiter offensus est.

L X. Atque ita factum esse docent nos tum Christus, Ioh. 8. 44. cum de Diabolo dicit, *In veritate non perstitit* ; tum Apostoli Petrus & Iudas in Epistolis suis Cathol. Deus, (inquit Petrus 2. Cath. 2. 4.) *Angelis qui peccauerunt non percutit, sed in tartarum detruſos catenis caliginis tradidit damnationi asseruandos*. Et Iudas Ep. v. 6. *Angelos qui non seruata suâ origine reliquerunt suum domicilium indicio magna diei vinculis æternis sub caligine reſeruantur*.

L X I. Vbi observandum eos dici, *primam suam originem non servasse, non perstitisse in veritate, & proprium domicilium reliquisse*; Non quod ultro & sponte sedes illas beatas, cœlum scil. deseruerint, sed quia ultro peccantes & sponte à Deo (qui est veritas) & ab eius iustitia deficientes, sicque primam suam originem, siue sanctitatem, non servantes, horrendum exilium & à beatis illis sedibus expulsionem iusto Dei iudicio in se accersuerunt.

L X I I. Omnibus hoc pacto proprio suo facto atque culpâ bonis quibus antè fruebantur mulctati atque orbat, è cœlo cœlorum in caliginosa ista loca tanquam in carcerem deturbati, à fauore & benevolentia Dei exclusi, odio & indignatione eius pressi, fieri ne potest ut non sint in æternum summè, & quidem iustissimè, miseri? Quid enim habent de quo vlla cum specie de Deo eiusque severitate conqueri possint? cum malum quod patiuntur ultro peccando in se attraxerint, ad eoque ipsimet sibi suâ defectione creauerint.

L X I I I. Supplicium illud Apostatarum Angelorum, vti fuit illis à Deo in tempore, post & propter eorum peccatum, iustè inflictum, sic fuit ab eodem ab æterno illis constitutum, at non sine peccati & defectionis ipsorum præuisione, & respectu; unde dicitur *stagnum igne & sulphure ardens paratum Diabolo & Angelis ipsius* Matth. 25. 41. & Apoc. 20. 10. 14. Nam si Diabolo paratum est, non nisi propter eius peccatum est illi destinatum, Angelus enim factus non est Diabolus nisi per peccatum.

L X I V. Hæc supplicii Angelorum lapsum destinatio, Deique de præcedente eorum lapsum derelictione consilium (quandoquidem utrumque ab æterno est) dici potest quædam eorum ad mortem Prædestinatio, sed quæ non est ita facta quasi Deus prius destinaverit supplicium sine consideratione peccati, deinde decreverit derelictionem, quæ peccato ac consequenter pœnæ occasionem daret. Quin potius decrevit primò Deus Angelorum creationem ad Bonitatis suæ ostensionem, tum derelictionem siue non Electionem, ad libertatis & absoluti Domini demonstrationem, maioremque gratiæ suæ in alijs, quos labi non fuit, illustrationem; ac postremò supplicium propter peccatum eorum, ad iustitiæ suæ declarationem, constituit.

L X V. Qui decretorum ordo longè est convenientissimus ac Dei sapientiæ, bonitati, & iustitiæ accomodatissimus. Eo enim (vti res tota iam à nobis est exposita) tum asseritur [vti decet,] summa Dei libertas, absolutissimumque eius in creaturas dominium, tum bonitatis, sapientiæ, iustitiæ, gratiæ & misericordiæ ipsius tota ratio & œconomia aduersus prophanorum hominum obrectationes vindicatur.

L X V I. Eò enim tandem adiguntur ut nihil aliud Deo respondere valeant quàm hoc, *Noluit [quod potuit tamen] impedire ne mutaremur & ab eo descisceremus*. Quibus sic obmurmurantibus & obrectantibus Deus iustè regerere potest, *At quis me vestrum ut id ego facerem obstrinxit? quis mihi prior quicquam dedit, & ego rependam illi?* Rom. 11. 35. Cogitare hic oportet id quod aduersus Pelagium scripsit olim Orosius, *Magis ex eo unde accepit quisque gloriatur in Domino, quàm unde non accepit irascatur*, Item, *Non ingeramus Domino de non accepto querelas, sed de accepto gratiam repensemus*.

L X V I I. Quod si pergant objicere, *cur adhuc cōqueritur, voluntati enim eius quis potest resistere?* audient, *tu, quis es qui responsas Deo? An non habet singulus potestatem indatum &c.* Rom. 9. 20. 21. Quod et si propriè ab Apostolo de homine in peccatum lapso dictum est, analogicè tamè accommodari etiam potest iniustæ illi Diabolorum

de Deo querelæ; quibus sic responderi potest, Conqueritur & irascitur Deus apostasia & malitiæ vestræ planè voluntariæ prorsusque spontaneæ; voluntas autem eius & consiliū de non impediendo lapsu vestro, non facit ut non sponte & ultro, volentes & lubentes, peccaveritis, adedque & in defectione vestra sine pœnitentia præfractè perseueretis, id quod ad vestri condemnationem, ἀναπολογησίαν, iustumque supplicium satis est. Si plecteremini ob ea quæ nolentes, inuiti, & repugnantes faceretis, si vos ad ea facienda cogere mini, nihiloque minùs propere pœnas daretis, aliquis esset accusationi & obrectationi vestræ color & locus; at nullus omninò iam est, quando malum quod facitis, volentes facitis.

L X VIII. Porro eadem est Consilij & decreti Dei de primo hominis lapsu & peccato permittendo, sine non impediendo, ratio. Nam poterat sanè Deus illum impedire, si voluisset, quid enim prohibebat? At non voluit, quia liber est, & nemini obstrictus, quis enim prior ei dedit quicquam? Et certo quidem consilio id noluit impedire, non est enim insipiens, qui sine causa & ratione quicquam velit aut decernat. At nostrum non est illud peruestigare, ne qui scrutatur Maiestatem opprimatur à gloria; beneplacito eius nos decet acquiescere, ac quod liberum & solum ei est, illi non denegare.

L X I X. Interim, id ipsum de eius hac in parte consilio & proposito dici potest, quod modò diximus de fine quem sibi Deus proposuit, quum decreuit non impedire Angelorum lapsum. Népe, 1. sic voluit ostendere libertatem suam iusque summè ἀνεξαρτησίαν 2. illustriore reddere bonitatem, quæ major est in reparando homine lapsu, quàm in conseruando à lapsu 3. quia sic patebat aditus ad demonstrandam tum misericordiam in horum salute, tum iustitiam in aliorum pœna & supplicio, tum sapientiam & potentiam, quæ illustrius & gloriosius multo emicant in regendis, ordinandis, & componendis confusionibus quæ per peccatum in mundum sunt introductæ, quàm in conseruando semel à se sapientissimè constituto naturæ ordine. Non smeret (inquit, citante ipso Arminio, Augustinus,) bonus (Deus) fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè. Enchir. ad Laur. cap. 100.

L X X. Neque hîc quicquam ab hominibus aduersus Deum excipi, aut meliori iure objici potest, quàm quod modò allatum est cum de Angelorum non inhibito lapsu diceremus; eodemque planè modo vtrumque diluitur atque retunditur, & utrobique gloria bonitatis, sapientiæ, libertatis, potentia, Domini, iustitiæ & misericordiæ Diuinæ pariter asseritur. Omnia nempe Deus (inquit Apostolus) conclusit sub peccato, (h. e. non impediuit quominus homines peccarent cum posset tamen impedire) ut omnium miseretur, dando nimirum omnibus Christum sub conditione fidei sponsorem atque fideiussorem, ac quosdam ex omnibus actu seruando, datâ quibus voluit fide.

L X X I. Sic facti sunt (per decretum illud de non impediendo hominis lapsu) omnes tum Græci, tum Iudei. τὸ ἀμαρτῖαν, ἢ αὐτὸ πᾶν τὸ κατὰ φύσιν καὶ τὸ κατὰ νόμον, τὸ δὲ θεῷ (Rom. 3. 19.) per eiusmodi nempe liberum, ultioneum & spontaneum hominis lapsum à Deo non inhibito factus est mundus Deo obnoxius, ac reatu tenetur iustitiæ ipsius obstrictus, osque omnibus obstruitur, quia omnes sunt ultro ac sponte mali.

Illi à quo, per quem, & in quem sunt omnia, vni Deo, & Patri, Filio, & Spiritui S. scilicet hinc laus, & gloria, in secula seculorum. AMEN. FINIS.

Sap. Salom. cap. 21. 28. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisset, aut quod dicitur vocatum non esset, conseruaretur?





THESES THEOLOGICÆ DE PERSEVERANTIA FIDEI.

Præside D. MOSE AMYRALDO.

Respondente IOH. PAGESO, *Minorenarum, Aquitano-Monsegurensi.*

PARS PRIOR.

THESIS PRIMA.

POST QUAM superioribus Thesis explicatum est quæ sit natura fidei, quæ causa eius efficiens, in vna Spiritus Dei efficacia posita, quæ deniq; vis Electionis æternæ, per quam Deus nonnullos ab alijs segregavit, in quibus efficacitatem illam exereret, postulat instituti nostri ordo, adeoque rei necessitas prope flagitat, ut de fidei constantia in duratione, quæ Perseverantia dici solet, hîc disputemus. Quæ nostra disputatio bipartitò procedet. Primum enim videndum erit, quæ sit orthodoxorum de perseverantia fidei sententia, & quibus potissimum nitatur fundamentis & argumentis. Deinde, rationes quibus nonnulli eam impugnare solent, refellemus.

II. Quum fides habitus sit aliquis in mentem electorum infusus, omnis autem habitus considerari possit vel in se, vel in actibus suis, disquirendum est paucis, num de ipso habitu, an verò de eius actibus perseverantia prædicetur. Et hoc quidem primum positum esse debet extra omnem controuersiam, fidem in electis non dici perseverare ita, ut sit intelligendum eam actum aliquem continuum exercere, qui nunquam interrumpatur. Actus enim fidei sunt diuisi temporibus, quorum alia somno destinata sunt; in quiete autem intellectus ut plurimum nihil agit: alia alijs occupationibus & actionibus: nam ne vigilantes quidem electi ac fideles semper actu versantur in contemplatione objectorum fidei, sed varijs cogitationibus aliò atque aliò sæpe numerò distrahantur.

III. Neque verò fidei perseverantia in eo spectatur, quod eius actus, etsi temporibus diuisi, semper sint tamen inter se æquales. Quum enim omnis actus fidei considerari possit, vel *in intellectu* cognitionis, (euicimus enim alibi certis rationibus, fidem in cognitione consistere) vel in eius *emissione* atque vehementia; neque semper est in vnius cuiusque electi eadem mensura cognitionis rerum ad religionem pertinentium; neque mens, etiamsi versetur circa idem objectum, semper ad id eadem vehementia appellitur.

IV. Atque adeò tantum abest, ut mens habitu fidei imbuta semper actus producat pari vehementia præditos, ut ne semper quidem actus suos cum natura fidei consentientes habeat. Præterquam enim quod, ut iam supra observatum est, non semper actu versatur in contemplatione objecti fidei propositi, sed ad alias res distrahitur, prout vel appetituum impetus, vel vitæ necessitas, vel aliorum eam. objectorum vehementia rapit, & orthodoxi fatentur, & experientia nimis sæpe confirmat, ab iis

qui verè fideles sunt multa fieri, quæ cum fidei natura pugnant. Incidimus scilicet omnes in varia peccata, quorum respectu quotidie venia indigemus.

V. Itaque perseuerantia fidei in electis, postquam semel in eorum animis ingenerata est, vel in eo consistit, quod postquam semel illis indulta est, nunquam funditus obliteratur, sed in quæcumque peccata incidunt, permanet ille habitus tamen, & ad mortem vsque perdurat: Vel intercidit quidem penitus aliquando, atque omnino excutitur; attamen semper renouatur, & redintegratur ita, vt nullus sit è numero electorum, qui non sit illo habitu præditus, eo temporis articulo, quo è vita discedendum est.

VI. Et fuerunt nonnulli olim, iique alioqui præstantissimi viri, qui voluerunt quidem salutem electorum, ita esse in tuto collocatam, vt eâ excidere nequeant; nullam tamen fidei perseuerantiam agnouerunt, nisi quæ in eo sita est, quod etsi in nonnullis interdum omnino perimitur, restituitur tamen noua quadam & singulari Dei gratia, ne mors superueniens electos fide destitutos occupet. Haud secus ac si permanentem perseuerantemque flauium appellarent, non eum qui ita perennis est, vt fluat iugiter; sed cuius fluxus ita nonnunquam interrumpitur quidem, vt prorsus exarescat; verum nunquam contingit vt omnino pereat. Quin, remoto obice, qui fluxum aquæ interuerterat, vel labente supernè noua pluuia, & renouatur tandem, & etiam paulo magis quam antea intumescit.

VII. Nos posteriorem hanc explicandæ perseuerantiæ fidei rationem etsi cum eorum errore, qui omnem salutis certitudinem tollunt, non confundimus, amplecti tamen non possumus. Atque vt eam reiiciamus, hisce potissimum rationibus adducimur. Primum enim istud propriè non est perseuerare. Fac enim hominem primum nasci, deinde morti occumbere, tum suscitari à mortuis, & aliquo post tempore denuò mori, & sic circa mortem ac vitam agi, vt vtramque varijs vicibus expeririatur, certè non nisi admodum incommode dixeris huius vitam perseuerasse. Instaurata quidem fuit, atque ab interitu reuocata. At ni primum extincta fuisset, instaurari non potuisset. Extingui autem, & perseuerare, haud consentiunt.

VIII. Tam etsi vita hominis sic perseuerare dici posset, non sequeretur tamen eandem esse rationem fidei subinde morientis atque reuiuiscantis. Etenim quia in hominis demortui resurrectione, eadem forma regreditur in eandem materiam, quo fit, vt sit idem, quod antea, subiectum, si vita nihil aliud est quam animæ materiam informantis, actiuitas, fortasse eiusdem subiecti illa vita subinde repetita, eadem dici posset. At habitus, postquam semel funditus eiectus est, neque materia vlla superest, neque forma, neque quidquam aliud. Est enim omnis habitus qualitas aliqua. Qualitas autem omnis est ex earum genere rerum quæ separatæ a subiecto suo omnino non subsistunt. Itaque similis quidem habitus poterit de nouo ingenerari. Idem numero habitus reparari neutiquam potest. Itaque non esset illa vnus fidei perseuerantia, sed vnus in alterius locum successio, bis, ter, vel quater iterata.

IX. Adde quod fides fidelem ita Christo inserit, vt eum faciat Christi membrum, Dei filium, & eius aliquo modo compotem atque consortem. Nam per Christum in Dei ipsius communionem venimus. Si igitur fidelis fide omnino excideret, quia nihil amplius cum Christo commune haberet, rediret in Diaboli potestatem, eius filius euaderet, & a Dei communionem in totum reiiceretur. Iam autem neque id Christi decet affectum erga sua membra, vt ea sibi amputari atque putrescere permittat. Nemo enim odio, habet carnem suam. Neque Dei vel sa-

pietiae, vel affectibus etiam conuenit, ut eos quos adoptauit in filios, ira abdicet, ut nullae in iis amplius supersint imaginis ipsius reliquiae. Neque verò cum eius constantia congruit, ut quos semel admisit ad intimam sui communionem, illos prorsus à se seiungi patiatur.

X. Huc accedit quod qui semel verè credidit, ille Spiritum accepit, tanquam arrham supernae hereditatis. Arrha autem semel datur, & autore Apostolo, penes nos esse debet *ἐν ἡμῶν τῇ ἀπολύσει*, Eph. 4. 30. Quod sanè haud satis verè diceretur, si fides omnino deficeret, vnàque illa arrha periret. Neque verò satis verum esse posset, quod Apostolus ait, Christum in cœlo intercedere pro nobis atque idè *ὣν πάντων*. Heb. 7. 25. Illud enim certè actus continuitatem non intercessam denotat. Quod si Christus continenter intercedit, aut eius intercessio non est in eum finem destinata, ut fidem in nobis conseruet, quod absurdum est & *ἀδύνατον*, & pugnat cum verbis Christi Ioann. 17. 11. aut Christi intercessio nonnunquam est irrita; quod non amplius absurdum, sed blasphemum esse videtur.

XI. Quid autem fiet illis promissionibus, quibus Christus dicit nunquam fore ut ipsius oues sibi è manibus eripiantur; Paulus negat ullam futuram esse tentationem tantam, quam fideles non superent? Nam si sanè quibuscum nunc nobis res est, non respondebunt, promissiones illas habere conditionem inclusam, *Si perseuerent oues in manu Christi: Si fideles sponte tentationi non succumbant*. Istae enim cauellatiunculæ, quæ à nobis postmodum refellentur, non vsurpantur ab iis, qui agnoscunt propositum electionis absolutum & immutabile, & vim Spiritus in electis aliquam ineluctabilem. Aut igitur qui fide excidunt, neque eripiuntur è manu Christi, neque tentationi succumbunt, quod sanè vehementer absurdum est: aut promissiones istae non sunt vsquequaque veræ, neque solidam in animis nostris consolationem ingenerare possunt.

XII. Vno verbo, si qui sunt quorum vera fides penitus intereat, id vel inde pronenit, quod Deus sic putat liberos suos esse castigandos, ut ex eorum animis gratiam suam vniuersam ipse subtrahat: vel quod neglectu atque oscitantia quadam, habitum illum exolescere sinit, nouam gratiam non subinde, ut necesse erat, suppeditando; aut, quod eodem recidit, tantam vim tentationum ingruere permittit, ut gratia a se indulta ei par esse nequeat: vel denique iusto iudicio suo sic eos punit, qui quum ipsius gratia malè vterentur, meriti sunt ut illis eriperetur omnino.

XIII. Primum illud dici nequit, nisi putemus patrum sapientiae bonitatisque conuenire, ut castigandorum suorum liberorum ergò eos omnino abdicent, atque adèd etiam illis vitam eripiant, quam ipsi dedere. Quid enim est fidei interitus, nisi fidelium ipsorum mors, quatenus sunt fideles?

XIV. Secundum haud magis dici potest. Nam præter quam quod boni patris est, liberorum suorum conseruationi inuigilare, haud competit in naturam tam sapientem, ut opus a se summo studio inchoatum, & sollicita quadam procuratione iam auctum & affectum, vel neglectu atque oscitantia labi, vel vis alicuius maioris incurfu euerri patiatur, Psal. 138. 1. Cor. 1. 8. Phil. 1. 6.

XV. Tertium denique multo minus. Ut enim taceamus omnem iræ Dei erga fideles dispensationem consistere intra terminos castigationis paternae, castigationem autem paternam eo vsque non procedere, ut iam diximus, si tanta potuit esse ira Dei erga liberos suos, etiamnum fideles, ut eos fide, & iure liberorum priuare veller, quæso postquam erunt prorsus impii & Diabolo mancipati, quæ res eos reducet in gratiam, ut de

ut dei integrò adoptati ac restituti fide donentur? Cerrè Apostolus scribens ad Hebræos cap. 6. & 10. eam docet esse causam, cur eos qui peccarunt in Spiritum sanctum, ne Deus quidem possit ἀνακαλῆσαι εἰς μετάνοιαν, quod sacrificium Christi semel cognitum, ac postea spretum atque reiectum, & Spiritus Sanctus semel acceptus, at contumelia affectus, peccatorem eo loco constituunt, ut neque Dei sapientiam neque iustitiam deceat, pœnitentiam in iis redintegrare. Siue igitur illi qui fide in totum excidunt, peccent in Spiritum Sanctum, siue non, hoc videtur alienum à sapientia Dei, ut, quos adhuc fideles, semel iudicauit dignos quos à communione Christi omnino repelleret, eos rursus insereret Christo, postquam ab eo sunt iusto iudicio ex omni parte recisi ac segregati. Surculos certè ex arbore syluestri meliori trunco inferimus, ut fructus ferant. Vbi truncum comprehenderunt, & aliquandiu succum duxerunt ex eo vitalem, si defringantur, & prorsus exarescunt, nihil superest nisi ut comburantur.

XVI. Itaque perseuerantia fidei nobis illa est quæ in eo consistit, ut postquam semel habitus ille electis indultus est, possit quidem interdum esse vel remissior, vel intentior, vel ad sustinendos tentationum impetus firmior & acrior, vel paulo languidior & magis imbecillus, nunquam tamen extirpetur ex animo, aut funditus obliteretur.

XVII. Firmitudinis illius in fide inuictæ, quatuor sunt seu causæ, seu fundamenta. Ac primum quidem pender fides ex proposito electionis, quod immotum esse superioribus disputationibus demonstratum est. Electio autem eo pertinet, ut, quia naturâ vsque adeò cæci sumus, ut ipsi per nos Euangelii veritatem perspicere non valeamus, illuminemur vi spiritus, & sic ad Christi, per veritatem Euangelicam, & per Christum ad salutis fruitionem adducamur. Esset autem illud consilium, non immotum, sed fluxum, & irritum, si lux illa in mentibus electorum penitus exstingeretur.

XVIII. Deinde, ea vis est quidem habituum in animis nostris inolitorum, quocunque tandem modo acquisiti sint, ut admodum difficulter exuantur. Omnis enim inueterata consuetudo, eam facultatem quam afficit, ita præpedit & inclinat ut sic à natura facta esse videatur. Attamen qui boni habitus causam habent naturalem tantummodo, (nam de malis, res aliter se habet,) mutabiles sunt; quod experientia est in Adamo comprobatum. Vis supernaturalis, si se se magnificè exerit in impressione alicuius habitus, (testatur autem Paulus nos credere κατὰ τὴν κηρυχθεῖσαν τοῖς σοφιστοῖς τὴν ἀλήθειαν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ Eph. 1. 19.) eum ita penitus in facultatem insinuat, ut longè firmitatem superet habituum agendi consuetudine comparatorum.

XIX. Tertio, quia fides nunquam tanta vi mentibus nostris imprimitur ut vniuersam facultatem occupet; & manent semper reliquæ pristinarum tenebrarum, à quibus fortean periculum aliquod esse possit, ne paulatim obscuretur ac tandem, serpente corruptione, eiiciatur omnino, subinde fiunt accessiones nouæ lucis, quæ vel id quod aliquatenus obscuratum est, ab integro illustrat, vel id quod iam erat illustratum, noua quadam claritate perfundit, ut pellatur tenebrarum quod reliquum est, fides verò in dies magis ac magis augeatur. Quod ut contingeret, in electis, Apostolus passim votis ac precibus suis olim se procurasse testatus est.

XX. Denique quia ad insitaram à natura tenebrarum reliquias, accedit vis tentationum extrinsecus ingruentium, quæ vel voluptatum illecebris ac blâdimentis, vel rerum à quibus natura abhorret, specie horribili mentem de statu deicere aptæ natæ sunt, quidquid fidelibus accidit, Dei sapientia sic administrat atque dispen-

fat, vt vel vim tentationum imminuat, si maiorem lucis copiam indulgere non constituit, vel pro magnitudine tentationum, Spiritus illuminantis ac fidem corroborantis copiam, vberiore suppeditet, quæ fidem in eo certamine superiorem præstat.

XXI. Quatuor hæc ordine retrogrado nunc argumentis confirmemus. Atque vt incipiamus à postremo, verba sunt Apostoli diserta cap. 10. prioris Epistolæ ad Corinthios. *Tentatio vos non cepit, nisi humana; Fidelis autem est Deus: qui non sine vos tentari supra id quod potestis, sed unâ cum tentatione præstabit etiam exitum, vt possitis sufferre.* Quando Paulus mentionem fidelitatis Dei in eo negotio facit, fidelitas autem in Deo nihil est nisi constantia in promissis, necesse est vt Deus fidelibus suis promiserit, nullam se iis tentationem euenire passurum, quæ vires à se concessas supergrediatur. Promissio igitur illa vel absoluta est, vel conditionata. Conditionata autem esse non potest. Nam si conditione aliqua affecta est, hoc scilicet Deus spondiderit, *Non permittam fideles meos vlla tentatione circumueniri, quæ vires à me concessas exuperet, nisi ipsi voluntate sua se se à tentatione superari patiantur.* Quod ianè absurdum atque ridiculum est. Quum enim vires illæ quibus resistitur tentationi, non aliud spectent, quàm vt fidelium voluntas confirmetur ad resistendum, & nemo tentationi succumbat nisi sua voluntate, idem Deus spondiderit ac si dixisset. *Non patiar fideles meos vlla tentatione circumueniri, quæ vires à me concessas exuperet, dummodo vires à me ijs concessæ à tentatione non superentur.* Est igitur absoluta promissio fore, vt fideles à nulla tentatione vincantur, quia vel tentationem ad modum & mensuram virium iam indultarum exigit, vt illa non excedat, vel si tentatio supra vires iam indultas ingrauescat, proportionem vires ad resistendum ab ipso tribuentur & augebuntur.

XXII. Quod si quis quærat vbinam extent illæ promissiones ad quas Apostolus respicit, nihil est in Scriptura frequentius. Primum enim illa verba, quæ iam supra à nobis commemorata sunt, *Oves mea sunt in manu mea, nemo illas ex ea eripiet,* Ioan. 10. 28. quid aliud significare possunt, quàm quod qui se se semel Christo per veram fidem dediderant, sunt extra omnis tentationis periculum? Non enim possumus è manu Christi eripi, nisi per aliquam tentationem. Conditio autem quam nonnulli in hanc promissionem inferre nituntur, *nisi ipsa oves mea sponte sua se se mihi surripiant,* eam pariter faciunt absurdam atque iocularem. Quum illa promissio pertineat ad animos fidelium consolandos & spe salutis indubitata corroborandos, perinde est ac si Christus sic loqueretur. *Oves mea non habent quod vereantur. Tuebor illas aduersus omnem externum insultum. easque deducam ad salutem, dummodo ipsa inconstantia sue voluntatis, sponte sua non veniant in hostium potestatem.* Quæ consolatio planè nulla est, quia à nemine plusquam ab illa inconstantia metuendum nobis est, vsque adeò vt nihil quidquam externum metuendum foret, si ab ipsa voluntate nostra tuti satis essemus.

XXIII. Adde illa verba Dei, *Nunquam te deseram, neque te derelinquam.* Heb. 13. 5. Deut. 31. 8. Non enim ad sola mala corporea, & ad hanc vitam pertinentia referenda sunt, quasi de ijs essent enuntiata tantummodo; & si de ijs duntaxat enuntiata forent, sunt tamen ad salutem ipsam argumentatione traducenda. Absurdum enim est Deum, quæ est ipsius erga nos bonitas atque sapientia, velle mentes nostras de rebus ad hanc vitam pertinentibus securas reddere, æstum verò illum acerrimasque formidines, quibus conflamur cum de salute cogitamus, nolle sedatas atque compositas vi promissionum suarum. Sedari autem qui possunt, si de perseverantia fidei nostræ aduersus procellas tentationum nihil spondit? Aut quænam est illa fiducia

piorem, tam fidenter pronuntiantium, *Dominus est mihi auxilio, nihil quidquam me-
tuum.* Heb. 13. 6. Psal. 118. 8. Psal. 23. 4. si de rebus ad hanc vitam pertinentibus
securi, sibi putant esse tamen de salute trepidandum?

XXIV. Quid quod Deus illis verbis, *Inscribam leges meas eorum mem-
bris, & eas eorum cordibus insculpam.* Ierem. 31. non modò se se fidem daturam aliqui-
bus pollicitus est, sed semel à se datam vsque ad mortem conseruaturum? Nimirum
spondet eo loco Deus fore vt fœdus nouum quod pangere vult, non sit irritum, vt
vetus irritum factum fuerat. Non irritum autem esse non potest, nisi sint qui in fide
vsque ad mortem perseuerent. Spondet ergo aliquos in fide perseueraturos. Non-
possunt autem perseuerare, nisi tentationes superent. Quando igitur ipse promissio-
nem illam se se executurum esse pronuntiat, quid clarius est quàm eo loco sponderi
nonnullis à Deo fore vt eos præstet inuidctos, à quibuscunque tandem tentationibus
imperantur? Quamobrem eorum respectu quibus promissio ista facta est, promissa
est pariter perseuerantia. Si verò sunt electi proculdubio, atque adeò electi certo
quodam consilio, *Sunt enim ab æterno cognita sua opera Deo,* Act. 13. 18. neque de-
creuit tantam indulgere gratiam hominibus temerè, sed ijs tantummodo quos oculis
atque animo certissimè designauit. Neque sanè aliò spectant promissiones quæ ha-
bentur, Ierem. 32. 40. Olee 2. 19. Esa. 59. 21. & 54. 10. quæ si sigillatim excuterentur,
magnum copiam argumentorum suppeditarent.

XXV. Vim Spiritus quæ illuminat, quæque illuminando consolatur ac sancti-
ficat, subinde, vt necesse est, verè fidelibus suppeditari, ne fides eorum deficiat, iam
supra à nobis demonstratum est ex vi atque efficacitate intercessionis Christi. Ni-
mirum quam in rem intercessio Christi sit instituta, clarum esse potest ex cap. 17.
Euangelij secundum Ioannem, in quo extat illius manifestissima veluti *μαρτυρία*, &
admirabile *παρακαλις*. Voluit Christus, in incomparabili prece, quam paulo an-
te mortem habuit, quum se se parabat ad sacrificium offerendum, specimen exhibere
eius quod futurum erat postquam esset sacrificio functus, & corpus atque sanguinem
suum in sanctum sanctorum intulisset. Rogat ergo ille Deum vt conseruet quos sibi
dedit, eosque tueatur à Malo. Non potuit autem illa oratio suo successu carere, nisi,
quod hand procul abest ab impietate & sacrilegio, existimemus, & Christum in ijs quæ
pro munere Mediatorio, non modò vehemèter atque obnixè, sed etiam absolute, &
citra vllam cōditionem, à Parente petiuit, repulsam ferre potuisse, & Apostolorum,
pro quibus orat, fidem, fuisse in loco lubrico atque ancipiti constitutam, adeò vt
nihil quidquam de sua perseuerantia certi habuerint. Nam non aliter pro Apostolis,
quàm pro ijs qui per ipsorum prædicationem credituri erant, precatus est. Non potest
ergò quin vi intercessionis Christi electorum fides à Deo conseruetur. Conseruari au-
tem quò posset, si character illius à Spiritu Dei semel impressus non est naturâ suâ in-
delebilis, nisi eius veluti ductus atque lineamenta quotidie nouis radijs renouantur?
Atque eò pertinet quod ille spondet se se daturum Spiritum consolatorem qui ma-
neat cum fidelibus *ἐν τῷ ἀγαπᾷ*, aquam quam quisquis biberit, non sitiet in æter-
num: Ioann. 4. 14. & simili passim.

XXVI. Huc accedit quod vera fides semel præstita, nos inserit corpori Christi,
vt sit nostrum caput, nos illius membra. Aut igitur ratio similitudinis claudicat in eo
ipso in quo similitudo posita esse debet, aut quemadmodum spiritus qui motus in
membris ciet, & ex quibus omnis actio pendet, ex capite in partes inferiores per-
petuò commeant, sic vis illa atque efficientia, qua vita spiritalis & continetur &
exercetur, manat ex Christo in fideles, & si minus eos perpetuò mouet ad actiones

spirituales edendas, saltem vitam illam conferuat, neque patitur eam omnino præfocari.

XXVII. Mirum est quantum laborent Perseuerantiæ Sanctorum inimici in deprauatione loci celebris, qui habetur cap. 3. Primæ Epistolæ Ioannis. *Quisquis ex Deo natus est, non facit peccatum, quoniam semen eius manet in ipso. Neque potest peccare quia ex Deo natus est.* Sudant, æstuant, quidquid vsquam est non veræ subtilitatis, sed anxie *μετρίως* & artis cauillatoriæ commonent, vt vim infringant argumenti ex ijs verbis desumpti. Frustrà. Vis est veritatis prorsus ineluctabilis. Fatentur natos à Deo eos qui sunt à Spiritu Dei illuminati ac regeneriti. Aiunt, *peccare*, eo in loco, nihil aliud esse quàm manere in consuetudine peccati, siue deliberata voluntate illud fiat, siue non. Contendunt eum esse verborum istorum sensum, id esse ingenium eorum qui regeneriti sunt à Spiritu Dei, vt à consuetudine peccandi abhorreant. Ego. At affirmat Apostolus, eum qui talis est *non posse peccare*. Ergo non potest à fide omnino deficere. Nam qui deficit à fide omnino, ille peccato indulget, & eius consuetudine delectatur.

XXVIII. Verùm, inquit, illud *non posse peccare*, significat solummodò animum vehementer alienum habere à peccato, neque sic omnimoda impossibilitas indicatur, sed tantum moralis siue ethica, secundum quam impossibile dicitur, quod animo, studio & affectibus repugnat; quod denique contrarium est illis habitibus quibus assueuimus. Vt in illis verbis 2. Cor. 13. 8. *Non possumus quidquam contra veritatem.* Act. 4. 20. *Non possumus non ea quæ vidimus & audiuimus, loqui.* Ierem. 13. 23. *Sæ Ethiops potest mutare cutem suam, vos etiam poteritis bene facere.* Matt. 12. 34. *Progenies viperarum, quomodo possetis bona loqui, cum sitis mali?* Ioann. 8. 43. *Quare locutionem istam meam non agnoscitis? Quia non potestis audire Sermonem meum.* Matt. 6. 18. *Arbor mala non potest proferre bonos fructus.* Quibus similia sunt quæ in quotidiano sermone iactantur, *Doctum hominem non posse ferre contemptum*, & si qua sunt alia istiusmodi. In quibus non possum satis mirari hominum istorum, qui se se putant acutissimos, ἀβελήαι, &, quod aliquanto peius est, animum cauillandi libidine occæcatum.

XXIX. Primum enim in eo vehementer errant, quod cum per omni modo impossibile intelligant id, quod causam habet vsque adeò determinatam cur non existat, vt nunquam sit, neque verò vnquam esse possit, distinguunt ab eo quod dicunt esse impossibile moraliter. Nam certè quod verè impossibile est moraliter, tam potest habere causas determinatas atque ineluctabiles cur non sit, quàm quod quouis alio modo impossibile nuncupatur. Quid? Nonne absolutè impossibile fuit Christum peccare? Nonne pariter absolutè impossibile est diabolum quidquam boni facere? At viraque illa impossibilitas moralis est. Altera scilicet posita in eo quod Christi mens bono vsque adeò vehementer & constanter adhæsit, vt ab eo diduci ac dimoueri non potuerit. Altera in eo quod vsque adeò mala mens est, malusque animus Diaboli, vt contingere nequeat quin malè agat. Quum igitur, exempli gratia, pudica fœmina negat possibile esse vt à pudicitia desciscat, loquitur quidem de impossibilitate morali; at vult tamen eadem significare, tantam esse vim virtutis in verè pudica fœmina, vt contingere planè nequeat vt virtutis obliuiscatur.

XXX. Deinde omnia illa loca quæ sunt ab ipsis citata, dilutam istam impossibilis interpretationem redarguunt. Nam & negare vult absolutè Paulus quidquam homines posse contra veritatem. Et negare vult Petrus præfactè, euenire posse vt quæ ab Apostolis visa & audita sunt, ab ipsis non prædicentur. Et Deus significare vult

haud magis esse ex τῶν ἐνδεχομένων, vt Iudæi ex se beneficiant, quàm vt Æthiops nigrorem suum deponat, quod nemo negauerit ipsi esse omnino impossibile. Et Christianus ipse animo habet omnem à Iudæis, quos progeniem viperarum appellat, benè faciendi facultatem abjudicare. Et idem Christus statuere vult esse ex τῶν prorsus ἀδυνάτων, vt Iudæi per se suis sermonibus auscultent; Et denique nisi velit putrem arborem non posse omnino bonos fructus proferre, haud satis congruent inter se partes comparationis ab ipso institutæ.

XXXI. Denique omaem istam vitilitigationem locus ipse refellit. Primum enim illud πᾶς ὁ γεννημένος, denotat velle Apostolum propositionem vniuersalem enuntiare. Quod non decet illius sapientiam, nisi id quod affirmat, habeat causam ita certam atque determinatam, vt ex eâ euentus perpetuò similes & vniiformes consequantur. Quid igitur illud est, πᾶς ὁ γεννημένος ex τῷ θεῷ οὐκ ἀμαρτάνει, si non modò contingere potest vt aliquis natus ex Deo peccet, sed etiam, id quod illi pronuntiare non exhorrescunt, id non raro contingat? Deinde habent illa verba, ὅτι τὸ σπέρμα τοῦ θεοῦ ἐν αὐτοῖς μένει, præter rationem enunciati, miram quandam emphasim. Mene enim non quamlibet existentiam denotat, sed persistentem, atque durabilem, vnde μένει pro habitare sumitur. Reddit ergo Apostolus rationem cur qui ex Deo natus est, non peccet, hoc est, in eum statum non adducatur vt deleatur peccato, quod Dei semen, vis illa Spiritus scilicet, quæ per Euangelium indulta est, in eo permanet, cuius ope à peccato defenditur. Tertiò, & illa particula καὶ ponit extra omne dubium, Apostolum non modò affirmare voluisse natum ex Deo non peccare, sed etiam contingere non posse vt peccet. ἀμαρτάνει ὃν ποῦν inquit: quid ita? quia Dei semen manet in eo. Καὶ ὃν δόξαται ἀμαρτάνειν, quid ita? ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ γεννῆται. Denique complexus istorum verborum magna quædam vis est. Vt mirum sit quemquam esse qui non agnoscat Ioannem negare euenire posse vt talis desciscat à sanctimonia, quia principium illud vitæ, quod à Deo regenerante habet, corrumpi nulla ratione potest.

XXXII. Reuera, vt retrocedendo ad id quod secundo loco propositum est, accedamus, hocce discrimen esse videtur inter habitus à causa diuina atque supernaturali infusos, & eos qui bene agendi consuetudine ex principijs naturalibus comparati sunt, vt hi mutari & excuti possint, illi vel propemodum inuitis animis adhærescant, nisi ab eadem illa vi quæ ipsos impressit, reuocentur. Certè quæ est ratio ingenerationis fidei in animo, eadem perseuerantiæ illius ratio esse videtur. Vt efficacia illa quæ nos primum vocauit & traduxit ad Christum, resistentes nos ac renitentes aduersus vocationem, peruicit tamen, atque subegit, sic etiam postquam semel mentibus nostris ita victis atque superatis insedit, locum à se occupatum tenet constanter, & si quid vel intus oriatur, vel extrinsecus accedat, quod eam labefactare conetur, quanto impetitur acrius, tanto diligentius vires suas colligit, & se se comparat ad repugnandum.

XXXIII. Atque id verè fideles omnes in se se experiuntur. Incidunt enim ea tempora interdum, vt penè cupiant se non esse Christianos; vsque adeo vel iniuriam acceptarum sensus exstimulat ad vlciscendum; vel voluptatum illecebræ carni suauiter adblandiuntur; vel metus mortis & infamiæ horror, quæ propter religionem impendent, eorum animos percellit, in quibus rebus magnopere exoptarent facultatem habere sibi paulo intemperantius indulgendi. At aliquid in mente hæret tamen, ita fixum, ita altè ac firmiter impressum, vt neque reuelli se se, neque tentationis fluctus obrui & submergi patiatur. Nec id vnquam manifestius ac luculen-

tius apparet quàm quum ei qui verè fidelis est, aliquid accidit paulo memorabilius, quod cum vera pietate, veraque virtute non congruit. Tum enim non modò fides è fluctibus emergit, & apparet esse immerfabilis *φείλος ὢς*, sed eo ardore pœnitentiæ, ijs animi motibus, ijs angoribus conscientiæ, eo peccati horrore comitata refurgit, ut nouas vires sumplisse videatur. Cuius rei illustre exemplum extat in Dauide Psal. 51. & in Corinthijs, 2 Cor. 7. 11.

XXXIV. Atque eam esse indolem Spiritus illius qui fidelibus tribuitur, patet ex oppositione inter ipsum & carnem, à Christo & Apostolis instituta. *Quod natum est ex carne, caro est; Quod verò natum est è Spiritu, Spiritus est.* Ioann. 3. 6. Item, *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; Qui verò sunt secundum Spiritum, quæ Spiritus sunt.* Rom. 8. 5. & similia. Non enim solùm significant illa loca, quemque in eas res ferri ad quas inclinatur & impellitur ab eo principio quod in ipso principatum obtinet (sunt enim illæ duæ ἀρχαὶ actionum nostrarum inter se oppositæ) sed viriusque principij constantiam pertinaciamque denotat, naturâ suâ insuperabilem. Ut quemadmodum fieri nequit quin ij in quibus caro dominatur, carnis terrenisque rebus addicti sint. Sic necesse sit eos in quibus viget spiritus, cælestia spiritualiaque sectari.

XXXV. Atque sanè eò pertinet quod dicit Apostolus, dona Dei esse ἀμεταμέλντα. Rom. 11. 29. Hoc enim significat ea esse irreuocabilia, & quorum semel concessorum Deum nunquam pœnitebit. Si autem Deus ea non reuocat, manere illa necesse est. Scilicet ut hominum infidelitas Dei fidem ἀπαρτίως nequit, Rom. 3. sic hominum voluntas non potest Dei propositum & efficacitatem eluctari. Neque hîc quisquam regerat, pronuntiata illa esse verba de constantia propensæ voluntatis diuinæ in populum Iudaicum, cuius horrenda defectio non impediet quominus ad Christi communionem tandem aliquando reuocetur. Primum enim Apostolus rem illam singularem ex axioma vniuersali demonstrat. Vnde ceceçariò sequitur tam verum illud esse in alijs Dei χάρισμα quæ ex eodem fôre manant, quàm verum esse repperitur in eo particulari negotio, quod ad Iudæorum vocationem spectat. Deinde si eavis fuit propensæ Dei voluntatis erga populum Iudaicum, ut quia eum semel voluit Redemptoris compotem facere, (illi enim singulari quadam ratione destinatus fuerat) horrenda Apostasia efficere nequiverit quin illa perseveraret, adèd ut reuera tandem ad redemptoris participationem adduci debeat, quid existimare debemus de ea Dei voluntate qua singulos quosdam homines non modò ad Christum vocare constituit, sed iam vocatos efficacitate virtutis suæ, & spiritu adoptionis obsignauit?

XXXVI. Quin in eo instar aliquod habemus rationis illius qua fides in ijs perseverat, quibus, postquam verè crediderunt, contigit aliqua de causa vel veram religionem eiurare, vel committere flagitiosi aliquid, atque in eo aliquandiu perseverare. Quem admodum enim etiam si multò maxima nationis pars à Dei sedere deficiuerit, nullum tamen est tempus, quo non aliquis ex eo populo vocetur ad salutarem Christi cognitionem; rem ita procurante illa Dei voluntate quæ ἀμεταμέλντος est, ne populus vniuersus ab antiqua olea cuius mentio est ad Rom. 11. rescindatur, sic etsi talium vel apostasiâ vel grauissimis peccatis, caro videatur de nouo omnes penè animæ facultates vniuersas occupasse, superest tamen in illis aliqua Spiritus residua pars, cuius interuentu cum Christo cohærent, ne ab eo penitus defringantur.

XXXVII. Atque ea est, ut tandem eò regrediamur, Propositi electiui vis, ex quo fluit vocatio efficax quæ nos Christo inserit, quodque nos præstat immunes

ab omni periculo totalis ab eo defectionis. Idque nos docent & Christus, & Apostoli, & ipsa natura rei.

XXVIII. Et Christus quidem primum. At enim Matt. 24. 24. Pseudo, christos & Pseudoprophetas excitatum iri olim, & edituros signa magna, & miracula; ὅτι πλανήσονται, εἰ δύνανται, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Quæ sanè ἐπαίρησιν, εἰ δύνανται, negat apertè electos circumueniri posse. Palam est enim designari electos iam vocatos. Nam non est difficilius electos nondum vocatos in errorem inducere, quàm reliquos, neque ad id magno conatu opus est. Tum illud ὅτι, rei euentum denotat, non pseudoprophetarum nism atque conatum. Quod illi volunt qui verba ista cum illis Lucæ comparant, Act. 20. 16. festinabat enim, εἰ δύναντο λέγειν αὐτῷ, Hierosolymis esse die Pentecostes. Iuxta enim, & εἰς τὸ, & ἵπτος. & si quæ sunt alia similia nonnunquam pro ὅτι ponuntur; ὅτι pro ἵα, haud æquè. Quod etsi alibi nonnunquam fieret, hæc tam en locum habere nequiquam posset. Festinabat enim Paulus ut esset Hierosolymis, εἰ δύναντο, quia & in ea re difficultatem esse cernebat, ob breuitatem temporis memorabilem, & difficultatem eam tamen inexuperabile esse non putabat. Pseudoprophetae vel nullos esse electos credunt, quos circumuenire tanto conatu laborent: vel si credunt esse aliquos electos, sciunt eos ἀπομαρτυρεῖν non posse: Quamobrem neque eos in errorem inducere tentant. Quod si electi, ex Arminij sententia, ij dicuntur, qui crediderunt tantum, non quos Deus à reliquis immoto proposito secreuit, quibus daret ut crederent, quid opus erat ut Christus adderet & ἐπιφάσεις & διακρίσεις ergò, ὅτι πλανήσονται εἰ δύνανται, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Nam neque Pseudoprophetae quosquam alios seducere nituntur, quàm qui iam credunt, & ex Arminianorum hypothese, omnes qui credunt non modò non est impossibile à fide auertere, sed non rarò contingit, ut ab ea desciscant. Quæ autem non rarò fiunt, facilia esse videntur.

XXXIX. Quanto proclivius est, minusque distortum, eam mentem Christi verbis assignare, ut dicat, Tantam futuram esse miraculorum Pseudoprophetarum efficacitatem, ut non add eis in quibus sunt tentamenta quædam fidei, quam externa Euangelij professione testificantur, quique à Christo προσκαλεῖσθαι vocantur, imponere valeant, sed etiam ipsis electis, in quibus multo maiorem virtutem Dei Spiritus exeruit, si (quod non est) tanta foret illius seductionis vis, ut in electis fides labefactari possit? Idem colligi potest ex verbis Christi quæ habentur Ioan. 6. 37. 38. & 39. atque alibi.

XL. Apostolorum eadem doctrina est. Certè Paulus cap. 8. Epistolæ ad Romanos, postquam dixit *ijs qui Deum diligunt, quique vocati sunt κατὰ τὴν ἀγίαν πρόβλεπον, omnia cedere & cooperari in bonum* (quod verum non est si quid eorum fidem & sanctimoniam evertit) cur sic locutus sit, non aliam rationem reddit, quàm quòd ita præcogniti sunt, ita prædestinati à Deo, ut prædestinationem vocatio, vocationem iustificatio, iustificationem glorificatio necessario consequatur. Vnde illa non modo fiducia, sed etiam χάρις, quæ quidquid est rerum quæ salutis nostræ spem debilitare possint, fretus electione quæ se se in vocatione & iustificatione exercit, ad certamen magnificè prouocare videntur.

XLI. Ad istud argumentum duo solent excipi. Vnum, quod omnia ista conditionata sunt. *Dum modò ipsi hostibus nostris nos non dedamus.* Alterum, quòd Apostolus certitudinem suæ perseuerantiæ in reuelatione aliqua particulari fundauit. Quæ duo inter se pugnant. Nam si de se Paulus, fretus aliqua particulari reuelatione locutus est, non possunt esse conditionata, sed absoluta. Si conditionata sunt, spectant ad omnes



fideles indifferenter, neque sunt propria & peculiaria [Paulo. Vtrumque prae-
pariter falsum & absurdum est.

XLII. Prius, quia quemadmodum inutile est ita esse tutum ab hostibus exter-
nis, ut à nobismetipsis periculum exitij perpetuò impendeat, sic absurdum est gloriari
tanquam de victoria parta eum, cuius spes pendet ex condicione incerta, & ancipitis
eventus atque periculosi. Ferendi ne illi essent qui de hoste urbem circumfidente
magnificencia verborum veluti triumpharent, hac spe scilicet elati, quod nullum
ipsis periculum imminet, si vigilant, quum non modò somnus illis obrepere queat,
sed etiam sint natura somnolenti, atque adeò veterinosi.

XLIII. Posterius, cum enim Apostolus non alia in re spem atque fiduciam suam
collocet eo loco, praeterquam in *ἐν ἐνώπιῳ*, & in *ἐκλογῇ*, & in electione atque
ἐκλογῇ τῆ θεοῦ, aut Apostolus solus praedestinatus est, aut ista communia sunt om-
nium electorum ac praedestinatorum.

XLIII. Neque hinc quisquam regerat, multos quidem esse electos atque pra-
destinatos; Apostolo vero singulari beneficio suam electionem fuisse perspectam
atque reuelatam, quae penè omnes alios lateat. Istud enim multis modis refutatur.
Primum, quum illud, *καὶ τὰ πνεύματα ἡμῶν ἀγαθῶν* in eum finem dicta sint, ut omnes fi-
deles, qui varijs afflictionibus ac tentationibus obijciuntur, certâ spe confirmentur
eventus, aut nullam animos confirmandi vim habent, aut debet omnibus fidelibus,
ad quos ista consolatio pertinet, sua electio esse nota, vndeunque nota sit. Deinde,
antequam de se loquatur Apostolus numero singulari, multoties repetit pronom-
en *ἡμεῖς*, ne cui dubium esse possit quin de omnibus electis fidelibusque loquatur.
Tertio nusquam particularis illius reuelationis meminit, commemorat eam tantum
quae sunt omnibus fidelibus communia, atque palam ostendit in ijs rebus sitam esse sui
illius *πίπισται* γὰρ, causam atque rationem. Denique, audemus affirmare non po-
tuisse Paulum ex vlla particulari reuelatione, maiorem haurire fiduciam se esse
electum, quàm ex ijs effectis quae electionem apud omnes consequuntur, fide scilicet,
consolatione animi, vera sanctificatione, patientia in afflictionibus iniuncta, & spe
certa beatæ immortalitatis. Quae quia in Paulo eximia fuerunt, eximiam pariter
suae perseverantiae *πιστις* ingenerarunt. In alijs omnibus verè fidelibus eandem
πιστις ingenerant, pro modo atque mensura, quâ virtutes illas in se quisque repe-
rit esse. Idem demonstrari potest ex Pauli verbis 2. Tim. 1. 12. & alijs passim.


XLV. Rei denique natura ipsius consentit. Quum enim Deus, nulla alia cau-
sa praeterquam sua misericordia inuitatus, Filium unigenitum electis suis redempto-
rem, dederit, quum sola misericordia inductus, illis ut redemptorem fide ample-
cterentur, concefferit, quum credentes de remissione peccatorum certiores fece-
rit, quum dato Spiritu adoptionis tanquam pignore amoris sui paterni, in spem im-
mortalis hereditatis erexerit, quum erectos in illam spem vi eiusdem Spiritus san-
ctificantis ad imaginem suae sanctitatis renouauerit, quum denique Christo seruan-
dos tradiderit, quid interuenire potest, quod spem illam interuertat? Num mundus?
At Christus mundum vicit. Ioann. 16. 23. utque mundum ipsi vinceremus, fidem de-
dit; est enim illa victoria per quam mundum superamus. 1. Ioan. 5. 4. Num Diabolus
qui est in mundo? At ut nihil habuit in Christo sic nihil amplius habere potest in
nobis. Et qui in nobis est maior est eo qui est in mundo. Ioan. 4. 4. Num pecca-
tum? At qui Christum induerunt, illi peccato mortui sunt, quique sunt ex eo geniti
illi *οὐκ ἔσονται ἐκ τῆς σαρκὸς καὶ οὐκ ἐκ τοῦ αἵματος οὐκ ἐκ γυναικὸς οὐκ ἐκ ἀνδρὸς ἀλλ' ἐκ τοῦ πνεύματος* 1. Ioan. 5. 18. Num mors atque sepulcrum?
At qui credit in Christum, non videbit mortem, & à morte ad vitam iam transit.

Ioan. 6.



Ioan. 6. Num Deus nobis quidquam negabit quod ad perseuerantiam sit necessarium? At qui Filium vnigenitum eo modo dedit, potestne quidquam non donare cum eo? Rom. 8. Num amare nos desister? At qui vsqueadeo nos dilexit cum eius hostes eramus, vt voluerit nos sibi reconciliare per Christum, reconciliatos iam atque factos amicos quanto magis dilecturus est? Num ipsum amare desistemus? At si ille qui nos amore suo omni modo praeuenit, vnde reciprocus amor in animis nostris ingenitus est, non solum non deponit amorem illum erga nos suum, sed etiam auget atque intendit, qui posset illius amor in cordibus nostris extinguere? Num denique imaginaria ista voluntatis nostrae in hanc & in illam partem flexibilitas nobis metuenda est? At Charitas Christi nos constringit, 2. Cor. 5. at Euangelij efficacia omnes nostras cogitationes sub obsequium Christi in captiuitatem adduxit, 2. Cor. 10. 5. at qui Christo factus est *obsequiosus*, ille iustitiae se se in seruitutem addixit, vt non amplius excedat ex eius potestate. Rom. 6.

Christo, qui spem salutis nostrae, vna cum Patre & Spiritu Sancto, in tuo collocauit, sit pariter vna cum Patre & Spiritu Sancto, laus honos & gloria in omnem aeternitatem. A M E N.



THESES THEOLOGICÆ DE PERSEVERANTIA FIDEI.

Præside D. MOSE AMYRALDO.

Respondente IOH PAGESO, Minorenatu, Aquitano-Monsegurenfi.

Pars Posterior.

THESIS PRIMA.



VI Doctrinæ de perseuerantia fidei in sanctis, alienam à religione putant, eam Scripturæ testimonijs primùm, deinde eorum exemplis, qui a fide defecisse videntur, ac denique rationibus ex ipsa rei natura petitis, labefactare nituntur. Quando igitur eius defensionem suscepimus, sunt illa sigillatim expendenda, quantum quidē id Theſium institutum ferre potest. Quamuis autem omnia minura-

tim persequi nimis longum esset, speramus tamen nos ea in commune esse dicturos, quæ ad singula, vbi opus erit, facile possint accommodari.

II. Vt igitur à Scripturæ testimonijs ordiamur, citat illi in eam rem locum ex Ezech. 18. 24. 26. &c. Et cum auertit se iustus à iustitia sua, & facit iniquitatem, secundum omnes abominaciones quas facit improbus, faciet & videri omnes iustitias eius quas facit non memorabuntur, in prauaricatione sua, qua prauaricatus est, morietur. Et si qua sunt alia similia. At responsio est in promptu. Scilicet, & vulgata versio, & omnes aliæ quæ paulo sunt accuratiores, locum istum ita interpretantur, vt sententiam contineat condi-

T

tionatam: *Si auerterit se iustus, &c.* Et quamvis septuaginta Interpretum translatio Hebraicum textum secuta habeat, & *תשובה* & *דיוק*, vtille, *נשכח*, nemo tamen negare potest quin tantundem illa phrasis valeat, quàm si particulam *et* per quam conditio significari solet, vspasset. Conditionata autem locutio affirmat quidem, si hoc extiterit antecedens, quid porro consequatur. Neque sane nos negamus, si vllus esset fidelis qui fide in totum exideret, futurum esse ut moriatur. At non affirmat tamen locutio conditionata antecedens illud existitum. Quamobrem neque inde sequitur fidelem à fide posse in totum deficere.

I I I. Quid quod etsi nemo locum istum ita verteret, flagitat tamen Dei ipse eo loco loquentis institutum, ut eo conditionem inclusam esse putemus? Quum enim Iudæi solenni prouerbio quererentur peccata parentum in se derivari, atque in eo Dei iustitiam haud obscure suggillarent, calumniam illam refellit pluribus modis. Tacetur scilicet principio suam iustitiam, dum testatur neminem puniri propter peccatum alienum: animam quæ peccat, ipsam emori: vers. 20. Deinde misericordiam ostentat, ne quis sibi putet aditum ad veniam interclusum esse, dummodo conuertatur vers. 23. Denique hortatur ad poenitentiam, spondetque resipiscentibus iniquitatem non fore exitio; vers. 30. Quæ omnia & interminationem & promissionem habent, si minus expressam, saltem tacitam, at utique ex æquo conditione affectam. Haud enim certè Deus aliter vsquam mortem interminatur, quàm si in peccato obdurescas. Haud aliter vitam pollicetur, quàm si à peccato conuertaris. Haud aliter ferè hortatur denique, quam interminando pollicendoque.

I V. At neque id firmitatem fidei labefactat, & pertinet ut quod maximè ad eam confirmandam. Prius sic demonstratur. Nimirum nemo negauerit quin propositio ista vera sit, si Christus pro nobis mortuus non esset, futurum fuisse ut omnes periremus. Attamen constitutum certo fuisse atque immoto consilio apud Deum, ut Christus moreretur, nemo inficiaturus est, id tam disertè affirmante Petro, Actuum 2. 23. Quidni ergo verum erit fidelem esse peritum, si à fide desciscat, tamen si Deus pariter decreuerit immoto consilio fidem in omnibus fidelibus conservare? Quamobrem etsi vna est Dei voluntas, attamen duo sunt illius actus naturæ inter se admodum discreti. Quorum alter officium præcipit, & officium facientibus præmium pollicetur, detrectantibus poenam denuntiat. Vtrumque conditionatè, at certissimè tamen, & voluntati diuinæ congruenter. Altero constitutum est ab æterno quid sit futurum in euentu, idque bifariam. Vel enim actus ille negatiuus est eatenus, quod Deus apud se decreuit non indulgere vim eam per quam solam creatura facit officium. Vnde necessariò sequitur ut officium negligatur. Vel actus ille eatenus affirmatiuus est, quod Deus vim illam tribuere constituit. Ex quo sequitur necessariò ut præstetur officium.

V. Posterius sic ostenditur. Ad id ut fides & gignatur, & conservetur, duo sunt necessaria. Vnum est in objecto positum; alterum in dispositione subiecti. Subiecti dispositio pendet ex illo actu affirmatiuo voluntatis diuinæ, ex quo vis ea per quam officium præstatur, manat. Obiectum positum est in officii præceptione, in præmii promissione, in interminatione poenæ. Quæ duo postrema diximus esse conditionalia. Quid igitur esse potuit cum illo voluntatis diuinæ actu congruentius, quo in nonnullis fidem ingenerare, & ad mortem vsque conservare decreuit, quam ut sic Deus loqueretur, quomodo in illis Ezechielis verbis loquutus est?

V I. Alter locus celebris ex quo aduersarij pugnant, habetur Matthæi 13. 20. 21. *Quod in terram petrosam seminatum est, hic est, qui sermonem illum audit, & statim cum gaudio illum accipit: non habet autem in se radicem, sed temporarius est: ori-*

vero afflictione, aut persecutione propter sermonem illum, statim offenditur. Responsio ad istud argumentum ex Theſibus de natura fidei peti poſteſt. In illis enim explicatum eſt non omnino indiligenter, & quas habeat obiectum ex quo fides naſcitur, varias ^{et} veri, vtilis, iucundi, honeſti; & quibus modis ſeſe ad mentes hominum appellat, vt vel fidem temporariam generet, vel veram atque permanentem. Hoc vnum hic dicimus. Non negamus eſſe aliquam fidem ex qua homines deſciſcunt, negamus tamen homines ex vera fide deſciſcere poſſe. Non eſt enim omnis fides vera fides; ſed ea demum vera fides eſt, de qua hic diſputamus, quæ & obiectum apprehendit ſub omnibus illis ideis quibus inſignitum eſt, præſertim ſub poſtrema; & eodem modo apprehendit, vt obiectum ſatis altè in facultatem deſcendat.

VII. Neque nos mouere debet, quod & illud, quidquid est, appellatur *fides*, & qui eo præditi sunt dicuntur *credere*, & à viris præstantissimis *hypocrita* esse negantur. Nam & homo pictus appellatur homo, qui tantum habet hominis imaginem. Quid ni igitur fides illa res appellabitur quæ præter fidei simulacrum, habet initia eius quædam & imperfecta rudimenta? Et *scire* illi nonnumquam dicuntur, qui opinantur tantum. Quia hoc commune habent cum verè scientibus, quod eandem facultatem intellectus ad idem obiectum applicant, idque admittunt ita vt ferè eadem pertinacitate vtrisque adhæreant. In eo differunt tamen quod præcipuum est, atque adeo in quo sita est vis ipsa naturaque scientiæ, quod qui scit, & nititur evidentibus demonstrationibus, & eas sese sentit cernere euidenter. Qui opinatur, ducitur affectu aliquo, & animi obstinatione inuidta quidem, at sui propemodum nescia; certe eius sensus, & persuasionis experte, quæ ex certis argumentis, euidenter animo perspectis & comprehensis, orta est.

VIII. Hypocritæ illi negantur esse, quia qui merè hypocrita est, ille circumposita solus professionis externæ larua, mentitur in corde sese habere, quod non habet. Scilicet obiecti illius, quod fidem generare aptum natum est, nullam omnino ideam admittit in intellectum. Intellexit quidem in Evangelii prædicatione τὸ τοῦ αἰῶνος. At ne leuissimum quidem assensum ad id accommodauit, sed eo modo affectus est, ac si illi aliquis nœnias, aut Ouidianas Metamorphoseis narrasset. Quia tamen sic commodum ei fuit, sese credere assimulauit. At ille qui temporarius dicitur, nihil quidquam simulat, sed quod reuera habet, id se habere profiteretur. Quod si proficeretur sese credere, paulo vehementius quàm fert eius inchoatæ fidei, qua præditus est, mensura atque magnitudo, ne ea quidem de causâ vel simulare, vel hypocrita esse putandus est. Vt enim qui partim scit, partim opinatur (opinio enim certe, & scientia inchoata, at nondum adulta consociari possunt,) non modò proficeretur sese scire, sed etiam reuera putat se esse scientia præditum, & quod opinionis est, imperfectæ scientiæ attribuit; Sic qui fidei illa tentamenta in se sentit, tamen si in eo amore erga Euangelium, quem præ se fert, iis ducatur affectibus quos in nobis excitare solent illæ res, quibus vel innutriti sumus, vel ex quibus commoditates aliquæ ad nos veniunt, putat tamen se se fide ad amorem Euangelii impelli, & non modo aliis, sed etiam sibi metipsi imponit.

I X. Eodem ferè pertinent loca celebria quę habentur Heb. 6. 4. 5. 6. 7. 8. & Heb. 10. 26. 27. 28. 29. In quibus agitur de iis qui peccant in Spiritum S. Nam & illi dicuntur *fuisse illuminati: & gustasse donum cęleste, & participes facti fuisse spiritus sancti, & gustasse bonum Dei verbum, & virtutum futuri seculi non fuisse expertes, & denique cognitionem veritates accepisse: qui tamen prolabi, ultro peccare, hoc est. fidem ex animo eicere memorantur.* Si eadem in nobis esset, quę

in aduersariis nostris est, cauillandi libido vel licentia, responderemus affirmari, si quid tale contingit, ut illi excidant, nullam iis superesse veniæ spem. Fore ut tales excidant, non affirmari. At veritas multo agit & generosius & securius. Tales excidunt. Quid tum postea? Ergo verè fideles excidunt. Negatur. Non sunt enim illi verè fideles. Quod in Thesis de natura fidei demonstraui.

X. Cerrè si illa verba de omnibus omnino fidelibus enuntiantur, necesse est ut conditionalia sint; eo scilicet sensu, *si qui fuerunt illuminati, gustaueruntque domum caeleste, &c. excidant, adducit eos ad exitum eis meritis.* Sic vniversè denuntiabitur neminem post fidem semel acceptam, eam eiurare posse, quin se se coniciat in pereundi necessitatem inenitabilem, adeò ut ne Deus quidem, prohibente eius iustitia sapientiaque, illum renouare queat. Quod verum quidem est: at non consentit tamen cum doctrina aduersariorum nostrorum, qui non putant omnino impossibile esse, quin qui libro vitæ inscriptus fuit, deinde ex eo per apostasiam deleris, denuò possit per penitentiam instaurari, & locum, qui in libro vitæ fuit, repetere suum. Si locus de certo quodam genere hominum intelligendus est, quænam est ista ratiocinandi methodus, quæ vis in argumento sequelæ, ut quod de quibusdam tantummodo dictum est, id de omnibus pronunciatum esse putetur?

XI. Sunt igitur quidam tales, qui tamen verè fideles non sunt. Deest siquidem illis quæ in eis inesse memorantur, aliquid sine quo vera fides esse non potest. Vnde fit ut deficient aliquando tandem; quum contrà verè fideles perseuerent ad mortem vsque. Utamur sanè ficto, sed ad eam rem accommodato exemplo. Sinto omnes homines natura stulti, ob vitium temperamenti, & organorum illorum quibus vis ratiocinatrix vritur ad cogitandum. Deinde decreuerit Deus eos omnes in quatuor veluti classes distribuere. In aliis nullam vim exerat, que pertineat ad vitium illud emendandum; atque in iis vis stultitiæ tanta semper sit, quanta maxima esse potest. Aliis medicinam aliquam adhibeat, quæ nonnihil vitium temperamenti corrigat. At non ita tamen, quin magna residua sit mali labe, quo fit ut se se quidem illi putent esse sanatos ac sapientes, errent tamen, & in multis iisque magni momenti rebus insaniant. Alios ita afficiat ut propemodum ad sanitatem perducti esse videantur: at lateat tamen vis aliqua mali ingens, quam si venenum aliquod, aut halitus pestifer afflet, non modò illi redigi possint ad insaniam, sed ad rabiem prorsus insanabilem devenire. Reliquos denique ita curet, ita purget atque reformet, ut non modò non desipiant amplius, sed ut nulla veneni vis, nullus casus eos de statu deiicere queat. Ideone quia illi, postquam aliquantisper desipere cessarunt, in eum tamen morbum incidunt, ut rabie infestentur, hos eidem morbo expositos esse sequetur? Aut ex eo quod hi postremi sanitatem sapientiamque constanter retinent, conficietne aliquis illos non posse è bona mente demoueri? Appellat autem nos omnes Scriptura sacra stultos, in quibus vis Spiritus vel agit vel cessat, ut in omnibus hominibus medicina diuina agere vel cessare simulatur.

XII. Quartum testimonium ab iis petitur ex eo Petri loco, vbi eorum meminit, qui postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & seruatoris Iesu Christi effugerunt, his rursus implicati superantur, & quorum ea de causa facta est ultima conditio deterior priore, &c. 2. Petr. 2. 18. 19. 20. 21. 22. At Petrus vel de iis loquitur de quibus hætenus disputatum est, vel de aliis. Si de iisdem, iam responsionibus nostris argumentum refutatum est. Si de aliis: quinam illi sunt? Nam sane verè fideles eos esse negamus; Aduersarii haud magis tales esse probabunt, quàm id ab iis de temporariis, deque illis qui peccant in Spiritum sanctum, probatum est.

XIII. Neque hic vel exultent vel paratragædient, quod nonnulli è nostris hominibus respondere solent, ex iis quæ Petrus talibus attribuit, colligi non posse eos esse verè fideles, quia omnia ista reperiri possunt in hypocritis. Scilicet obseruant Petrum dicere, *insecari per carnis cupiditates lasciuas* τῶν ὁρώσων ἀποφυγόντας *eos qui in errore versantur*. Tum inculcant iis attribui, non modo simplicem notitiam Christi, sed *ἐπιγνώσιν*: quæ cum approbatione rei quæ cognoscitur & assensu coniuncta est. Denique negant euadere potuisse inquinamenta mundi, qui reuera non crediderunt. Omnia frustra. Primum enim quod illi à nonnullis hypocritæ dicuntur, vexandum non est. Videlicet, quia fides fucata vera non est, omnis fides non vera κατεχόμενος fucata nuncupatur: illique vocantur hypocritæ, quibus idem quod hypocritis accidit, vt externam Euangelii professionem deserant. Tum si illi de quibus Petrus loquitur *ἀποφυγόντας τῶν ὁρώσων ἀποφυγόντας* eos qui in errore versantur, non continuò sequitur insecationem effectus esse compotem. Nam & pisces nonnunquam fraudem subolfaciunt, & escam auersantur. Neque negamus aut nonnullos, qui deficiunt, accepisse τὴν ἐπιγνώσιν τῆς ἀληθείας, quandoquidem id Apostolus affirmat, Heb. 10. 26. aut *ἐπιγνώσιν* cum approbatione & assensione aliqua esse coniunctam. Concedimus denique quantum illi habuerunt τῆς ἐπιγνώσεως Iesu Christi, tantum eos euasisse è mundi inquinamentis. Quando enim cognitio illa mentem non theoreticam modò, sed etiam practicam affecit, necesse est vt voluntatem affecerit pro portione. At omnia ista cadere possunt in eos qui peccant in spiritum, qui à nobis è censu verè fidelium eliminantur. Quod igitur de his responsum à nobis est, de illis pariter dictum esse putetur.

XIV. Inter eorum exempla qui à fide defecerunt, Dauidem primum memorant, de quo hæc tria ab illis affirmantur. Primò, fuisse verè fidelem antequam adulterium admitteret. Deinde adulterium admisisse deliberato consilio. Denique habitum fidei omnino excussisse eo peccato. Id enim istiusmodi esse putant vt ab eo qui verè credit, nisi funditus eiectâ fide, committi nequeat. Sic confectam esse putant quod volunt. Nam qui semel fidem excussit, potest in ea apostasia vsque ad mortem permanere. Primum nolumus negatum. Secundum explicatione indiget.

XV. Scilicet actiones malæ quæ deliberato consilio fieri dicuntur, sunt duorum generum. Aliæ enim tales sunt quia non sunt ex eorum genere quæ consistunt in motibus τῆς παρὰ, qui *προβούλευσιν* antecedunt. Nimirum obiecta nonnunquam vsque adeò celeriter descendunt in animum, vt perturbationem excitent, inconditam illam & ab ingenio veræ virtutis abhorrentem, antequam mens consultauerit obiectum sit. ne amplectendum vel auersandum. Quod genus peccatorum vix ac ne vix quidem à nobis admitteretur, si fides in nobis perfecta foret. Verum quia supersunt aliquæ peccati reliquiæ, furtim illæ concitantur, & animis obrepunt ex improviso, vnde motus inordinati in appetitu concitatio. Illa igitur deliberato consilio fiunt, ad quæ præter appetitus commotionem accessit *προβούλευσις* aliqua, & inter duo diuersa obiecta disceptatio, post quam in alterutram partem animus incitatus inclinatur. At in tali *προβούλευσιν* nihil prohibet quominus vehemens aliqua animi perturbatio intercedat, quæ vsque adeo vehementer mentem occupat, vt in ea aliquantisper penè occæcata, obiectum vnum faciliè præponderet, donec sedata perturbatione, facti poenitentia subeat, quæ tanto acrior est, quanto id quod est admissum, agnoscitur esse vel perniciosius, vel magis flagitiosum.

XVI. Aliæ actiones malæ deliberatæ sunt, ad quas homines non accedunt incitati perturbatione aliqua vehementi, sed ex habita; adeò vt nulla sit consultatio nulla.

que dubitatio, peccandum sit, nec-ne; consultatur tantum num sit hoc potius, an verò illo modo peccandum. Nam qui sunt penitus in vitii potestate, bonum morale suique deque habent omnino; & vel inter duo peccata fluctuant, vtro potius implicantur; vel si de vno tantum agitur, nullius rei rationem in consultatione habent, nisi vtrum magis vel minus aut incundum, aut commodum, aut securum, peccare vel non peccare, sit. Quæ ipsa consultatio peccatum est.

X V I I. In posterioris huius generis actionibus, verum est cum iis fidem consistere non posse. In prioris, haudquaquam. Quod enim in facultatibus corporis nonnumquam euenit, vt vitæ vi ad aliquod tempus interceptâ, incidamus in animi deliquium, quod mortem imitatur, tamen non sit mors; id ipsum in habitibus animi accidit, vt ea peccata committamus quæ videntur arguere fidei interitum, quum illa viuat tamen. Cuius rei ex eo ratio petenda est, quod cum duo in animis nostris maximam vim habeant, habitus & πάθος, vbi habitus imperfectus est, datur locus τῷ πάθει, quod cum à vehementi aliquo obiecto potentissimè concitatur, facultatem ita perturbat, vt habitum non anittat illa quidem, at eo tamen, durante perturbatione, non vtatur. Idque docuit ipse Aristoteles, qui vbi dicit *ὅτι τὴν ψυχὴν οὐκ ἐκ τῆς ἐκείνης ἐκτελεῖται τῆς πράξεως*, negat eadem opera vnam actionem habitum animo insidentem immutare.

X V I I I. Atque rem ita se habere mirum est ni vis veritatis eos cogat vt fateantur. Non enim diffiteri possunt veram fidem non impedire quominus fideles in peccata incidant, paulo quàm peccatum Davidis fuit, leuiores quidem, at peccata tamen, non subreptitia illa tantum, sed coniuncta cum deliberatione aliqua, atque παρρησίᾳ. Id enim experientia quotidiana testatur, & nisi mentiri volumus, id nos docet sensus ipse conscientię. Quæro, quid causæ est cur in istiusmodi peccatis fides non funditus obliteretur? Nimirum habitus iste delitescit, vigente perturbatione aliqua. Postquam illa deferbuit, habitus aliquantisper obrutus tanquam è fluctibus emergit, & vim suam exerit in actibus cum suâ natura consentaneis. Quod si euenire potest in peccatis paulo leuioribus, excitata perturbatione mediocri, quidni pariter idem euenit in peccatis grauioribus, ingenti aliqua & inusitata perturbatione concitatâ? Hoc vnum inter ista duo intererit, quod in leuioribus peccatis id accidit aliquanto frequentius, in grauioribus magis raro, quia Deus haud permittit fideles suos in grauiissima illa peccata incidere, nisi ob certas quasdam causas, quæ raro vsu veniunt; aliæ, quæ professionem Christianam non æquè dehonestant, ideo sæpius accidere permittit, quia ita necesse est, nisi, quod eius sapientia postulare non videtur, Ecclesiam suam in terris perfectè sanctificare vellet.

X I X. Dauidem ita peccasse vt vehementissima animi cupiditate ad peccandum incitatus fuerit, res ipsa declarat. Non fuisse in eo fidei habitum penitus extinctum illo peccato, haud ferè minus manifestum est ex eo quod admonitus à Propheta, statim ita respuit, vt nusquam alibi veræ pœnitentiæ exemplum luculentius occurrat. Neque verò mirari debemus quod pœnitentiæ suæ nullam externam significationem dedit, donec Propheta ad eum missus est, tempore satis memorabili elapso. Dubitandum enim non est quin aliquando peccati illius cogitatio eius animum subierit, conscientiamque non nihil pupugerit, partim metu vindictæ, partim fœditatere rei ipsius. Verum quia id genus peccati fuit, quod ex lege Mosaica pœna publica vindicandum erat, si minus ab hominibus, quia admissum erat à rege, supra omnes alios homines posito; (vnde illud forè natum est, *Tibi soli peccavi Plal. 51.*) saltē à Deo, qui non omnem auctoritatem summi Magistratus in eo populo, in-

stituta Monarchiâ, deposuerat, (erat enim in prima constitutione Reipublicæ ^{de-} ^{regia}) Deus autem eius ultionem aliquandiu distulerat, putabat sese ueniam impetrasse, & esse omni pœna defunctum. Itaque ut facile sibi homines blandiuntur, qualicunque pœnitentia contentus, nihil amplius de eo cogitabat. Quamobrem ut acrius eum Deus ad pœnitentiam extimularer, & eius pœnitentiam una cum seuera castigatione multo redderet illustriorem, unde maior ad ipsius nomen gloria redundaret, descenderetque ad Ecclesiam exemplum utilius, Prophetam misit, qui conscientiam dormitantem excitaret; & peccatum singulari quadam ratione ultus est, ut non modo homines priuatos, sed & reges ipsos à peccando deterreret.

X X. Alterum exemplum desumitur ex Solomone, quod solutu uidetur esse paulo difficilius. Nam si fuit fidelis antequam sese tot idololatriis pollueret, quâ potuit vera fides cum idololatria consistere? Si fidelis non fuit, quomodo tot tamque illustria à Deo testimonia consecutus est? Certè si nulla alia respondendi ratio suppeteret, satis tamen esse deberet modestis ingeniis, quod & in Scriptura, & in Theologia sunt quædam ^{anæ.} quæ Deus talia esse voluit, ut ad humilitatem erudiremur. Neque sanè ferè quidquam aliud magis reprehendendum fuit in iis aduersus quos hæc disputatio instituta est, quàm quod omnia ad mensuram ingenii sui exigere uoluere. Quasi uerò tanta sit in homine vis intelligentiæ, ut nihil sit in consiliis atque operibus Dei, vel in iis rebus in quibus eius prouidentia, quocunque tandem modo id fiat, interuenit, quod captum mentis humanæ nequeat superare. Aut igitur Solomo toto illo tempore quod eius idololatriam antecessit, veram fidem non habuit; aut si veram illo tempore fidem habuit, Deus admirabilem aliquam rationem reperit, per quam fides in tam horrendis peccatis ab omnimoda corruptione defendetur.

X X I. Non sumus tamen ed-redacti, ut nihil planè respondere valeamus. Primum enim quidni statuere possemus dona illa singularia atque extraordinaria, quibus rex iste donatus est, non fuisse ante idololatriam vera fide comitata? Neque enim sapientia politica, neque rerum naturalium cognitio, neque diuinæ apparitiones, neque quidquam istiusmodi, habet necessario veram fidem veramque sanctimoniam conjunctam. Si prophetæ lumen Balaamo, vis patratorum miraculorum multis de quibus Christus locutus est, & in Saule heroici quidam motus à spiritu Dei profecti, existere potuerunt absque vera fide, cur non ista omnia in Solomone existiterint, tametsi veram fidem non accepisset? Certe nihil frequentius est, quam ut sint in certis quibusdam hominibus præstantissimæ virtutes, cum intellectuales, tum morales, qui tamen mentem gerunt à vera pietate veraque religione alienam. Cuius rei ratio est in promptu. Ut enim sunt objecta longè diuersissima quæ fidem generant, & ex quibus tales virtutes oriuntur; sic operationes spiritûs per quas humana mens ad ista objecta impellitur, & diuersissimæ sunt, & facillè possunt esse sejunctæ.

X X I I. Quod si quis ita sentiret, turbari non deberet ideo quod Solomo eo tempore Christi fuit typus, & luculentissimis testimoniis ornatus. Typus enim Christi fuit, non quatenus fidelis, sed quatenus rex sapientissimus & gloriosissimus, in altissima & maxime imperturbata pace. Ista enim Christum adumbrare potuerunt in eo, qui tamen vera fide veraque sanctitate careret. Testimonia uerò quæ de Solomone prima fronte videntur enuntiata, aut ad Christum vnum pertinent, si quis ea paulo diligentius expendat, aut si ad Solomone referri possunt, vera tamen esse potuerunt in eo qui post fidem inchoatam tantum, at nondum eam perfectam onem assequutam, per quam esset vera fides, in grauissima flagitiosissimaque peccata ruit,

ex quibus postmodum per poenitentiam debuit recreari. Nam sanè aduersarij nostri non negant Solomonem peccatorum suorum verè poenituisse, & postea salutis factum fuisse compotem.

XXIII. Deinde quidni eorum sententiam tueri possimus, qui putant in medijs illis flagitijs quibus sese contaminauit, eum conseruasse fidem, debilitatam quidem illam certè magnopere, at non extinctam tamen aut funditus extirpatam? Nam polygamia sanè tanto scèdior fuit, quanto maior fuit numerus vxorum & concubinarum quas alias alius superinduxit. Attamen neque polygamiae peccatum tam graue fuit sub V. Testam. quàm sub Nouo, quia & ius naturæ minus tum cognitum in eo genere fuit, & Christus nondum noua lege sanxerat iura matrimonij: & numerus ille ingens vxorum & concubinarum minus flagitij habuit in rege, quàm in priuato, ob consuetudinem eorum qui in isto fastigio fuerunt apud Orientales, à qua re ne Dauid quidem abhortuit eo tempore quo maximè pietatem colere videbatur.

XXIV. Ad idololatriam quod spectat, quum ea consistat vel in animi affectu, vel in externo falorum deorum cultu tantum, si Solomo veri Dei cognitionem ex animo eiecisset, imbutusque reuera fuisset ea persuasionem, deos illos, quibus thus adolebat, esse Deos, omnino fides in eo non permanisset. At neque id factum fuisse Scriptura memorat, neque verò verisimile est. Corruerunt foeminae eius animum eatenus, non vt veri Dei fidem eiuraret, sed vt putaret modò, rem non fore vsque adeò grauem, aut quam Deus ad animum reuocaret, si rebus externis sese cultum aliquem exhibere testificaretur ijs dijs, qui adorabantur à foeminis quas efflèctam amabat. Homo scilicet vxorius, & in eam libidinem propeclus, & blanditijs muliebribus expositus, & voluptate fractus ac emollitus, facile sibi persuasit eam rem sibi condonatum iri. Scimus autem longè grauius esse peccatum quod quis perpetrat voluptate illectus, quàm id ad quod metu mortis & ingentis periculi praesentia compellimur. Attamen si quis paulo diligentius animo reputet, quid conuenienter Solomoni regi, & Apostolo Petro, quorum alter vixit saeculo tenebroso, alter cum Dei ipsius Filio familiarissimè versatus est, haud multo difficilius esse putabit, conseruatam esse fidem in regis animo, tametsi falsis dijs sacrificauerit, quàm in Apostolo, tametsi Dei filium cum dijs eiurarit.

XXV. Ad rem non magnopere pertinet quod Petrus statim Solomo, nonnisi post aliquo tempore respicit. Nam si aliquāisper fides perseuerare potuit cum idololatria, quidni potuerit aliquādiu pariter, diuinæ prouidentiae efficacitate sic procurante? Certè qui patiuntur animi deliquium, videntur in maiore periculo versari, si sit diuturnum. Nempe spiritus qui luctantur ad aliquod tempus, si vis syncopæ duret, tandem praefocantur. Attamen & historiae plenae sunt exemplorum hominum qui ex admodum diuturnis animi deliquijs reuadere, & si Deus potentiam in eo vellet exere suam, nihil ei facilius esset, quam vt vitam magnitudine mali obrutam, tuere tur tamen, & post longum tempus ab interitu imminente vindicaret. Cur autem id ipsum in fidei conseruatione praestare non possit, non videmus.

XXVI. Tertium exemplum ab ijs petitur ex illis Pauli verbis, in quibus videtur dicere Hymenæum & Alexandrum fidem & bonam conscientiam eiecisse. 1. Tim. 18. 19. 20. & de vera fide ibi agi inde contendunt, quòd est eadem fides quam Timotheus habuit, ex qua charitas fluit, in cuius retentione militatio bonae militiae consistit, cui bona conscientia adiungitur, atque id praeterea ex loci contextu manifestum esse putant. Quae omnia vnico ictu ruunt, si locum ipsam penitus inspiciamus. Hortatur Apostolus Timotheum, ut militet bonam militiam; in praedicatione Euan-

gelij

gelij scilicet, nam Timotheus erat Evangelista. Qua ratione id præstare possit, sic præscribit, si retineat, scilicet *fidem, & bonam conscientiam*, hoc est puram doctrinam, atque in ea administranda & in Ecclesia procuranda, sinceritatem. Hæc enim duo bonum & probum Evangelistam conficiunt, quatenus est Evangelista. Quæ hortatio ut sit efficacior, exemplum contrarium proponit, à quo eum deterret; in Hymenæo scilicet atque Alexandro; & simul ostendit quibus gradibus eo deueniatur, quo isti deuenierunt; nimirum primò bonam conscientiam, hoc est, sinceritatem neglexerunt, deinde naufragium fecere circa fidem. Quam fidem? Doctrinam puram, scilicet, quam prædicare destiterunt. Restat ergo ut videamus quam bonam conscientiam abiecerint.

XXVI. Bonam conscientiam esse posse à vera fide seiunctam, docet ipse Paulus Act. 23. ubi dicit *se omnino bona conscientia versatum esse adhuc usque diem*, quo loquebatur, *in conspectu Dei*. Intelligi enim ab eo totum illud tempus quod in Iudaismo vixerat, quidquid aduersarii vitiligent, manifestum est ex ipsius scopo. Scilicet ei animus non est commendare apud Iudæos conuersationem suam ex quo nomen Christo dederat; id enim eorum animos irritasset; sed reuocato in memoriam vitæ pristinæ instituto, sibi ad id viam munire ut ostendat, quod vivendi rationem immutauit, quod Iudaismum & Pharisaismum deseruit, ut Christianismum amplecteretur, id se fecisse ut veritatis compulsus, non inductum vlla fraude, vllisue malis artibus, à quibus semper abhorruisset. Atque id luce clarius demonstrari potest ex 2. Tim. 1. 3. Philip. 3. 6. 7. & alijs similibus locis. Neque mirum est eum bonam conscientiam sibi in Iudaismo versato attribuere, quandoquidem reliquis Iudæis, & ipsis accerrimo aduersus Christum odio incensis, tribuit Deizelum, tametsi cognitione carentem. Bona igitur conscientia duplex est; vna, absolute bona, quæ ex vera fide nascitur; altera bona *utà* *re*, quatenus scilicet consistit in affectu minime fucato animi peruersa quidem forte opinione imbuti, sed quam tamen per errorem iudicat esse rectam. Priore Hymenæus & Alexander præditi non fuerunt posteriorem habuisse nihil vetat.

XXVIII. Illi ergo fortasse miraculorum, quæ Evangelii prædicationem tum comitabantur, admittatione permoti, aut adducti aliqua alia ratione ex earum genere quæ homines ad res novas amplectendas impellere solent, Evangelium ita receperant, ut ipsi sibi verè credidisse viderentur. Quamquam non iis affulisset Evangelium sub illis ideis, quæ veram fidem, comitante spiritu Dei solæ generant. Ex eo natus est affectus prædicandi Evangelii initio sincerus, hoc est, minime fucatus; quo durante, nihil est ab illis in puritate religionis innouatum. Verum, ut est ingenium humanum varium & mutabile, postquam vel ambitio, vel avaritia, vel alia istiusmodi aliqua libido innasce atque inualecere cœpit in eorum animis, ut Evangelium non amplius prædicarent Evangelii ipsius causa, sed sui, (qua in re sita est bonæ conscientie depulsio) tum nihil facilius fuit, quam ut vel religionem interpolarent ipsi, vel prædicare vellent ut erat ab alijs interpolata. Sic enim melius ambitioni suæ, vel alijs affectibus seruiebant. Id autem quid pertinet ad fidei firmitatem labefactandam?

XXIX. At, esto. Eorum animis aliquatenus affulserit Evangelium sub illis ideis, quæ fidem veram generare aptæ natæ sunt. Quid tum sequitur? Nimirum eos credidisse ut credunt *πρόκειται*, de quibus supra diximus nihil prohibere quominus excidere putentur. Et reuera excidunt, alioqui temporarii non dicerentur. Iam autem quid in eo absurdi esse potest, si illorum in quibus tentamenta quædam veræ fidei fuerunt, exemplum proponatur, ut deterreatur à peccato is in quo vera fides est

Si scientia conseruaretur hortationibus, vt cōseruatur fides, nonne liceret eum qui verè sciens est, officii sui admonere, exēplo eorum proposito, qui rudimētis quibusdam atque initiis scientiæ inflati, aut dediticerunt quod iam tenebāt animo cōprehensum, ad aut id addiderunt peruerfissimos errores, quibus illa inchoata sciētia corrupta est?

XXX. Quartum exemplum petitur ex illis Pauli verbis, 2. Tim. 4. 10. *Demas me reliquit, postquam dilexit præsens sæculum*. Is enim qui præsens sæculum diligere cœpit, antea cum non diligebat. Non potuit autem non diligere sæculum, nisi vera fide præditus fuisset. Ergo vera fide excidit. At argumentum leue est. Primum enim, quid si ἀγαπῶναι & ἀγαπᾶ, significat, postquam ostendit sese mundum amare quem antea se non amare simulabat? Nihil enim solemnius est in Scriptura, quam vt ea existere incipere dicantur, quæ manifesta fiunt. Sic, *nascitur amicus in die mali*, & similia. Deinde, non dicit Apostolus, tum demum cœpisse Demam mundum diligere, cum ipsum reliquit. Dicit tantum se esse à Dema desertum, & ἀπὸ ἀγαπήσαντι. Quo verbo causam derelictionis denorat, non tempus quo Demas cœpit mundum amare. Amabat ergo ille mundum antea. At is tum erat rerum status vt amor mundi eum non impelleret ad Paulum deferendum. Vtrumque scilicet retinere vnà potuit, mundi amorem, & Pauli consortium. Rerum statu mutato, ita vt alterutri renuntiandum fuerit, amor mundi præponderauit. Denique idem de eo dici potest, quod de Hymenæo & Alexandro dictum est: vt non sit diuinus in eo refellendo laborandum.

XXXI. Ridiculos se præbent cum dicunt, *adduci à se potuisse in eam rem exempla Angelorum, Adami, & Eua. Quorum illos & totaliter & finaliter, hos totaliter vera iustitia excidisse constat*. Sanè si fides esset in nobis donum, primum naturale, deinde quod non penderet ex immoto proposito illius tum dandi, tum conseruandi, exempla non omnino abhorrerent. At & à causa supernaturali est, nempe Spiritu, & à consilio definito, nempe proposito electiuo. Itaque tantum differunt exempla illa à re quam agimus, quantum cælum distat à terra, Spiritus à natura. Quamobrem ad rationes accedamus.

XXXII. Primam & palmariam in eo sitam esse existimant, quod posito dogmate de perseverantia fidei, perit vis & efficacia omnium diuinarum exhortationum, omnium comminationum, omnium promissionum denique. Quia absurdum est declarare fidelibus eos esse extra omne periculum defectionis constitutos, & tamen omnia ista adhibere ad id vt ne deficiant. Nam si hoc decretum est, fore vt perseverent, quid opus est omnibus istis, quorum nullus est nisi vbi periculum est non perseverandi? Certè Paulus de Timotheo memorat, editas de eo fuisse prophetias aliquas, fore vt esset egregius Dei seruus in Ecclesia. Prophetias autem illas certò euenturas fuisse, nemo dubitare potest. Et tamen adhibet ad eam rem hortationes atque admonitiones. 1. Tim. 18. 19. Et alibi passim eadē opera & spondet fidelibus futurum esse vt Deus pro fidelitate sua atque constantia in promissis, salutem eorum perficiat, & tamen statim hortationes, promissiones, admonitiones omnis generis subiungit. Temerè & inconsultè, si acutis istis disputatoribus credamus.

XXXIII. Sic igitur respondemus. Rerum duplex est perseverantia. Vna sui nescia, quæ vel est à duritie materiæ, vel à natura formæ, vel ab utroque; vt in auro & cælo, & si quid est istiusmodi, quod naturam suam semper retineat incorruptam & minimè mutatam. Altera est à cognitione præstantiæ obiecti, quod vsqueadè præcellens esse agnoscitur, vt facultas ab eo nunquam diuellatur. Vt in pudica femina, constantia in castitate; in viro verè forti, perseverantia in fortitudine inuicta. Illa enim in pudicitia, hic in fortitudine & καλῶς ita perspexit, ita vtriusque animus illius

ideā percussus est, ut contingere nequeat quin ei perpetuū adhærescat. In priore genere perseuerantiæ hortationes & admonitiones absurdæ sunt. In posteriore nequam. Quum enim hortationes & admonitiones idem illud obiectum quod semel animo adhæsit identidem ostendent, eius ideam perpetuū renouant, atque impediunt quominus vel obliuione, vel aliquo alio casu oblitteretur.

XXXIV. Equidem negare illi non possunt, quin fides in hominibus nascatur ex concursu obiecti in Euangelio propositi, & Spiritus Dei, mentem hominis illuminantis. Neque enim credi potest, nisi sit quod credatur, neque, etsi sit quod credatur, admitti tamen potest ab homine penitus experte gratiæ spiritus illuminantis. Iam autem quæ est ratio generandæ fidei, eiusdem proculdubio ratio est conseruandæ: & quemadmodum ut primum generaretur, Deus hortationes & admonitiones adhibuit, sic pariter illas adhibet ut eam tueatur atque conseruet. Quum igitur, hoc constituto, Deum velle fidem in alicuius animo infallibiliter ingenerare, negare illi non possint necesse esse, ut Deus ad eam rem hortationes & admonitiones adhibeat, qui possunt absurdam existimare earundem adhibitionem, hoc pariter constituto, Deum velle fidem in alicuius animo conseruare infallibiliter?

XXXV. Eodem modo soluitur altera ratio ex eo desumpta, quod si negentur fideles posse totaliter à fide excidere, perit pars illa ministerii verbi quæ pertinet ad perseuerantiam ingenerandam, hortationes, scilicet, & comminationes, & alia istiusmodi. Non enim certè illud perit quod & adhibetur ad id ad quod institutum atque comparatum est, & finem suum assequitur. Itaque illud *posse à fide excidere*, duos sensus habet. Vel enim significat in fidelibus nullam esse deficienti potestiam, ut in cælo nulla est potentia ad corruptionem admittendam; in Angelo nulla potentia est ad moriendum; vel significat esse quidem potentiam ad deficienti in fidelibus, sed de qua tamen contingere nequit, ut in actum exeat, prohibente scilicet efficacitate diuina. Priore modo sanè si res se haberet, periret vis illa ministerii publici. Quid enim attinet cælum hortari ne contumatur, aut Angelum ne mortem subire velit? At non negamus in fidelibus esse & potentiam, & propensionem ad deficienti, nisi Deus eam inhiheret. Inhibet autem illam hortationum & comminationum ope, quibus comitem adiungit spiritus efficacitatem.

XXXVI. Tertia ratio eodem pertinet, doctrinam, scilicet, de perseuerantia fidei, tollere sollicitam illam Spiritus sancti diligentiam & curam, quæ in sacris litteris Satana hostilem aduersus nos animum, ac capitale odium describit, multifarias illius technas de-regit, commonesactionibus nos urget, ut foris illi resistamus, armaturam indicat qua nos armari decet, ni velimus in præsens salutis periculum incurrere; &c. Esto sanè fides in nobis, ut vita, corruptionis reliquæ, ut morbus, inconstancia atque mobilitas naturalis ingeniorum nostrorum, ut ea corporum nostrum conditio qua morti naturaliter obnoxia sunt, decretum de fide in nobis conseruanda, ut si Deus apud se statuisset prohibere quominus vis illa morbi vitæ preualeat. Equidem quemadmodum si quid tale apud se Deus constituit, non existimabitur tamen ideo inutilis & alimentorum & medicamentorum administratio, & cura medicorum, & accurata rerum omnium observatio, quæ pertinent ad vim morbi minuendam atque depellendam: quin necessaria omnia illa erunt, quia Deus iis prædiis, id quod à se decretum est, effectum dare constituit. Sic non modò non erit inutilis ea spiritus sancti diligentia, sed & absolutè necessaria, quia non aliter Deus, quam interuentu talis sollicitudinis perseuerantiam ingenerare decreuit.

XXXVII. Quarta ratio talis est. *Qui possunt opera carnis patrare, illi possunt à fi-*

de totaliter & finaliter deficere. Atqui verè fideles possunt opera carnis patrare. Ergo. Iam supra responsum est, cum exemplum Davidis & Solomonis expendere mus. Fideles opera carnis patrare, non ut ignavi atque imbelles homines ignavè se se gerunt, ex habitu, qui eorum mentes penitus occupavit; sed ut accidit nonnunquam viris alio- qui fortibus aliquid admittere quod virum fortem non decet, quia præsens & impre- visum periculum animum incogitantem perculit, at habitum fortitudinis ex eo non expulit tamen. Pader eos statim sui timoris, pudorque atque poenitentia eos ad peri- cula fortius quam antea capeffenda, acrius incitat & incendit.

XXXVIIII. Quinta vix responfionem meretur; verè fideles fieri posse viros mortis, quia David se se virum mortis appellavit. 2. Sam. 12. Item in eos qui verè fideles fuerant contingere posse ut Deus sit ira percussus; quod Scriptura de Solomo- ne testatur. 1. Reg. 11. Sane quum se David virum mortis appellavit, nihil aliud significare voluit, nisi se esse morte dignum. Nemo autem negat, quin fideles, cum peccant, morte digni sint, & id quotidie constentur. At inde non sequitur fore ut in mortem incurrant. Ira autem Dei duplex est; vna paterna; altera iudicis. Si ira illa Dei adversus Solomonem iudicis fuit, Solomo antea verè fidelis non fuerat. Si verè fidelis fuerat, ira paterna fuit; quæ fidei in Solomone penitus extinctæ ar- gumentum esse non potuit.

XXXIX. Sextam rationem miro nisu intentant. Sequi scilicet ex dogmate nostro, omnes fidelium liberos, qui baptizati sunt, necessariò servaturos iri. Quid ita? Quia ex doctrina nostra, per baptismum liberis fidelium remissio peccatorum & spiritus sanctus confertur; quæ duo beneficia talia sunt ut ijs excidere nemo queat, qui semel acceperit. Ut remissio peccatorum adultis confertur, qui credunt, ea lege ut credere perseverent, quod si fiat, beneficio excidunt; sic remissio peccati origi- nalis per baptismum infantibus liberis fidelium indulgetur, ea lege pariter, ut cum adolescent nihil perpetrent cuius causa beneficio priarentur. Itaque quemadmodum si quis esset qui post remissionem acceptam à fide deficeret, in maledictionem reci- deret: sic si quis est inter liberos fidelium qui se se, cum adolescit, præstet indignum eo beneficio, nihil eum consecutum esse putandum est. Hoc vnum inter duo illa interest, quod quibus semel est vera fides indulta, ab ijs nonquam eripitur, multi quibus baptismus concessus est, fructu baptismi privantur. Nimi- rum fidei veræ donatio non aliunde provenit, quam ex electione Dei, electio au- tem Dei talis est ut eà constitutum sit, omnes quibus vera fides donata fuerit, ad sa- lutem perductum iri. Id autem non fit sine perseverantia. Baptismus non indulgetur vi electionis, sed ideo quia quæ est conditio parentum, talem liberorum conditionem Deus esse voluit, dummodo nihil perpetrent quod eos reddat indignos ea præroga- tiua. Ut nihil istiusmodi perpetrent, non est in ea ratione, ob quam baptismus conce- ditur, necessariò inclusum. Ad Spiritum quod attinet, quandoquidem eius efficacia in eo posita est, ut mentem idoneam reddat quæ veritatem in Evangelio fulgentem ad- spiciat, atque eam amplectatur, mens autem in infantibus eo statu est, ut actum illum exerere non possit, si qua vis spiritus eos afficit, omnino diversam esse necesse est ab ea efficacia quæ fidem in intellectu producit. Itaque id nihil ad perseverantiam fidei.

XL. Septima ratio desumitur ex Ecclesiæ consuetudine, quæ erroribus & flagitijs se polluentes, atque in eo aliquandiu perseverantes, excommunicat, & regno Christi exclu- dit. Illi autem, inquiunt, putantur esse verè fideles. Quamobrem, vel defecerunt à fide vel si à fide non defecerunt, iniuste facit Ecclesia, quæ e societate sua eicit eos qui verè fi- deles sunt, & in Christi communione. Eadem ratione reprehendi possent ij qui à reli- quorum consortio segregant, quos pestis corripuit, quum spes sanitatis manifesta est.

Eur enim ij expelluntur è vivorum consortio, quos certissima spes est esse victu-
ros? Nimirum ne pestem alijs assent; quemadmodum illi eijciuntur ex Ecclesiæ
cœtu, ne alijs affricent scabiem peccatorum suorum. Quod si segregatio ab alijs
prodesse posset peste laborantibus ad bonam valetudinem facilius recuperandam,
tum eo magis existimaretur separatio necessaria. Censuris autem peccatores pu-
desunt, pudore ad meliorem mentē facilius reducuntur. 2. Thess. 3. 14. 15. Verum quid
multis opus est? Omnis censura Ecclesiastica, vel est castigatio *veritatis*, vel vindi-
catio verè pœnalis. In posteriore, si qua talis est, non supponitur peccator à fide de-
fecisse, sed eam nullam habuisse vnquam, & aliquandiu se habere simulasse. Fraus
vbi vitæ flagitijs diluxit, eijciendus fuit è societate Ecclesiæ externa, qui nunquam ha-
buit cum ea cōmunionem interiorem. In priore non supponitur peccator fide excidisse,
sed providetur ne ea excidat. Quod Apostoli ipsi procurarunt, cum homines tra-
diderunt Satanæ, vt destructa mortificataque carne, spiritus in Christo vivificaretur.

X L I. Octavo loco poni potest decantata illa calumnia de fato. Atque enim
doctrinam de infallibili fidei perseuerantia introducere in religionem Christianam,
ineluctabilem illam rerum omnium necessitatem, quæ Stoicos præcipuos habuit as-
seriores. Certè si apud Stoicos Fatum & Providentia, vnum atque idem essent,
Providentia verò ita ab ijs explicaretur, vt omnia ex Dei nutu atque imperio sapien-
tissimo pendere statuerent, in re longè optima & religioni convenientissima, inui-
diam famosi nominis non admodum reformidaremus. At fatum ijs potissimum de
causis odiosum esse videtur, primò quod ei Deum ipsum obnoxium esse Ethnici vo-
luerunt, nos ad liberrimam sapientissimamque Dei procuracionem omnia referimus.
Deinde fatum constare voluerunt ex serie causarum antecedentium & consequen-
tium, ita inter se aptarum & consertarum, vt alia seriatim natura sua. Quæ res
omnem providentiæ administrationem secludit. Nos nullam istiusmodi rerum con-
catenationem in eo negotio agnoscimus, omnia volumus ex sapientissima Dei ad-
ministratione pendere. Tertio, si quam causam agnoscunt vniuersalem & incommu-
cuius vi causæ illæ ita inter se aptè & consertè iungantur, eam putant esse positam in
syderum influxu. Nos id omne, quidquid est, quod fidem in nobis conseruat, tri-
buimus verbo, Spiritus efficacitate comitato. Cuius suppeditatio cum viribus cor-
porum celestium nihil commune habere potest. Denique qui omnia ex vi fati sus-
pendunt, eam ferè talem esse imaginantur vt in mentes hominum violenter ingruat,
easque vel sui nescias, vel inuitas atque coactas pertrahat ad id quod ab æterno
fato destinatum est. Nos illam verbi spiritu comitati efficacitatem, poten-
tissimam quidem, & ineluctabilem statuimus, sed volumus pariter esse mentium no-
strarum ingenio ita accommodatam, vt eius operatio sit longè suauissima, & con-
iuncta non modo cum sensu, sed etiam cum voluptate vehemensissima. Agit enim
ita, vt mentem impellat ad agendum, motam pulchritudine honesti, euidencia veri,
dulcedine iucundi, commoditate vtilis, & omnibus illis rerum ideis, quæ ani-
mum humanum ad se & suauiter & inenitabiliter alliciunt. Quod si quidquid est
necessarium & inenitabile illos offendit, nunquam erunt vel Deo, vel Christo, vel
Angelis, vel fidelibus in cœlo collocatis placati. Sanctitas enim in omnibus illis
inenitabilis & necessaria & est, & futura est in æternum.


X L I I. Denique vrgent, quod fideles de perseuerantia sua non modò solliciti
sed etiam anxij sunt, quod iis non conuenit qui de salute sua nihil sibi metuendum
esse putant. Verum Apostolus ipse testatur se ita esse de salute sollicitum, vt omni
studio, cura, diligentia adnitatur (adè vt corpori suo non parcat, quin id suggilla-
tione contundat) ne vel *adversus* fiat, vel talis esse reperiatur. Ergone etiam Paulus

de perseverantia fidei suae, deque sua salute dubitant? Duplex igitur est sollicitudo. Vna plena anxietatis, formidinis, trepidationis, quæ torquet animum, & ad desperationem, aut saltem diffidentiam, impellit. Illa cum fide non convenit, nec in vna cum ea sede moratur. Fides enim, & perfecta charitas, hoc est, quæ charitas reuera dici potest, metum foras eicit 1. Ioan. 4. 18. Altera quæ consistit in accurata curatione rerum quæ spem salutis lædere atque debilitare possunt. Illam autem sanè non negamus nonnunquam, atque adeò fere semper, coniunctam esse cum aliquo metu. At metus ille videtur esse similis eorum formidini, qui stant in altissima turri, firmissimis clathris cancellisque ferreis circumdata. Illi enim vident certè euenire non posse ut cadant. Attamen altitudo præcipitii horrorem cõsiliat, ut tametsi cancellis securè inniti possint, auersatione tamen periculi se quantum possunt in eam partem turretis reiciant, in qua magis tuti sibi esse videntur. Quod si qui nonnunquam cum maioribus animi angoribus conflantur; quemadmodum supra non negauimus fideles interdum peccare, negauimus tantum eorum peccatis fidem extinguì; sic nunc non diffitemur excitari interdum in conscientia fidelium ingentes metus procellas; contendimus tamen & in medio illo æstu conseruari fidem, & ætum ipsum tandem aliquando consolatione Spiritus sedari atque componi.

X L I I I. Multum se se torquent Adversarij ut ostendant, vel dogma de perseverantia fidei, non esse ad salutem absolutè necessarium, quia confessionibus Ecclesiarum reformatarum traditum non est; vel si confessionibus illis traditum est, temerè id factum esse, quia non est ad salutem necessarium. Certè confessionibus Ecclesiarum nostrarum dogma istud explicatum esse palam est. Cur id factum fuerit, triplex ratio reddi potest. Vna, quod cum ea quæ Scriptura docentur, alia paulo obscurius, & paucioribus in locis, alia multo disertius & passim explicata sint, dogmata autem illa quæ sunt in Scriptura luculentissima, soleant inter præcipuos religionis articulos referri, hocce, quod his Thesibus defendimus, vix vllum est aut sapius, aut luculentius contestatur. Altera, quod quum ea in religione præcipua putentur, quæ maxime pertinent & ad deprædicandam Dei misericordiam, & ad consolationem hominum procurandam; vix Dei misericordia in opere salutis nostræ satis manifesta est, si salutem ex perseverantia fidei, perseverantiam ex mobilitate atque inconstantia arbitrij humani, non ex immota firmitudine consilij sui pèdere voluit. Non enim modò certum non est eum iri seruatum ex cuius arbitrio salus suspensa fluctuat, sed non iri seruatum certum esse videtur. Quid enim sibi quisque de suo libero arbitrio polliceri potest, quum Diaboli tentatio Adamum subuerterit? Consolatione verò solida ne vix quidem frui potest, qui videt suam salutem in loco vsque adeo lubrico ac præcipiti, ut ne millesimus quidè ruinam evitare potuerit. Tertia denique ratio ea est, quod si nemo vnquam de certitudine perseverantiæ suæ fidelibus item mouisset, nihil fortasse necesse erat ut Ecclesia decideret de re de qua nullus, qui verè credidisset, apud se dubitasset. At quum hac in parte Diabolus, & fidei Ecclesiæ puritatem, & electorum consolationem tanto studio inde ferè ab Ecclesiæ primis ordines tantoque molimine tentauerit, nihil factum est vnquam consultius, quàm quum vtrique illi malo egregij Dei serui publicis decretis medicinã adhibere voluerunt. Quod igitur postremis hisce tēporibus, quibus cōtrouersiæ istæ multo quàm antea acerbius agitata, cum ingenti Ecclesiæ periculo exarserant, fidei electorū perseverantiam certam esse, nullisque periculis obnoxiam, auctoritate publica definitum est, id Spiritus sancti procuratori adscribendum esse minimè dubitanter affirmamus. Illi, qui cum Patre & Filio, vno Deo, æternum benedictio, salutis spem nobis fecit indubitam, sit honos, laus, & gloria in sæcula omnia. A M E N.

Inhouse = 3

D



THESES
THEOLOGICÆ,
IN ACADEMIA
SALMVRIENSI
VARIIS TEMPORIBVS
DISPVATÆ.

Sub Præsidio D. D. Virorum S. Theologiæ Professorum.

LVD. CAPPELLI.
MOS. AMYRALDI.
PARS TERTIA ET VLTIMA.



SALMVRII,
Venalia Prostant Exemplaria,
I. DESBORDES, Typographum & Bibliopolam.

M. DC. LI.

1651

gitur est sollicitudo.
num, & ad despera-
onuenit, nec in vna
charitas reuera dici
rata euitatione re-
sanè non negamus
ometu. At metus
e, firmissimis cla-
e non posse vt ca-
ocellis securè inniti
partem tutis reii-
am cum maioribus
imus fideles inter-
; sic nunc non dif-
s procellas; con-
psum tandem ali-

el dogma de per-
fessionibus Ecce-
raditum est, re-
e confessionibus
r id factum fue-
a docentur, alia

